DE SINDONE TAURINENSI

LIBRI DUO

JOHANNIS BERNARDI VIGI

RHETORICÆ PROFESSORIS.

A D

CAROLUM EMMANUELEM

SARDINIÆ, HIERUSALEM, ET CYPRI

REGEM

DE SINDONE TAURINENSI

LIBRI DUO.

AUGUSTÆ TAURINORUM,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.
MDCCLXVIII.

BENEDIXIT DOMINUS OBEDEDOM, ET OMNEM DOMUM EJUS.... PROPTER ARCAM DEI.

2. Reg. c. 6.

CAROLO EMMANUELI
REGI

JOHANNES BERNARDUS VIGUS.



TSI qualecumque hoc opuſculum, quod tuos ad pedes provolutus Tibi offero, tuumque in Patrocinium longe ampliſſimum, qua par eſt animi demiſſione, commendo, REX AUGUSTISSIME, nullo alio nomine dignum poteſt videri, cui tantum id

decoris accedat: re tamen ipſa, in qua verſatur, certe, tituloque, quem præfert, benigne exceptum illud iri ego quidem confido. Quum enim ei materiam divinum illud Pignus præbuerit, quod vehementiſſimi ſui, nulliſque verbis explicabilis in genus humanum amoris, crudeliſſima morte obita, reliquit ejus Servator amantiſſimus; quumque ne mentio quidem ejuſdem Pignoris ſacratiſſimi fieri poſſit, quin ſimul Dei O. M., cui uni acceptum referendum eſt, ſingularis in tua Stirpe ornanda, mirumque in modum declarata benignitas animo ſtatim obverſetur, ejus profecto muneris plane admirandi commemorationem, quæcumque ſit, tuis auribus haud injucundam accidere neceſſe eſt. Hanc autem immortalis Numinis eximiam benignitatem evidenter, niſi fallor, meis in ſcriptis animadvertere veterum monumentorum teſtimonio comprobatam licebit. Huc accedit, REX RELIGIOSISSIME, quod nihil eo Lino auguſtiſſimo antiquius Tibi eſſe, vel ab ineunte adoleſcentia, oſtendiſti, & præcipuis honoribus, præcipuoque cultu, quo ſemper illud es proſecutus, & ingentibus donis, quibus magnificen-

tissimam, ac vere regiam aram cumulasti; tantaque assiduitate, animique ad optima quæque facti propensione nunc potissimum ipsum colis, ut, qui justitia, sapientiaque, (nequid dicam de cæteris, qua bellicis, qua civilibus virtutibus, quarum admiratione, famaque orbem terrarum pene universum jamdudum implevisti) tot Principibus viris facile antecellis, veneratione, ac pietate in tam insigne divini amoris Monumentum vel religiosissimo cuique exemplo esse possis. Nimirum, ut omnes alias laudes, quibus clarissimi Majores tui domi, forisque cummaxime floruerunt, unus es assecutus, ita Amedæi noni, ob vitæ, morumque sanctimoniam in Divos relati, revera eximiam in cæleste illud Donum pietatem strenue æmularis; qui semel, atque iterum, ut literarum monumentis proditum est, sacrosanctam Sindonem adoraturus Camberium se contulit ex Subalpina regione, pedibusque etiam, quod magis mirandum est, tam longum iter confecit. Erit igitur, CLEMENTISSIME REX, tuæ hujusce pietatis argumentum luculentissimum Te sivisse exorari, tuo ut nomini augustissimo consecrata

mea ſcripta in lucem prodeant: erit clementiæ omni prædicatione majoris meam in iis voluntatem tantummodo, non autem muneris tenuitatem, pro ſummo tuo in Liberales Artes, earumque cultores, vel in medio bellorum ardore, clariſſime, reapſeque declarato, ſtudio ſpectare. Quæ quidem clementia cum aliis vatibus, æquiore Apolline natis, incitamento erit ad eamdem rem felicius, ac pro dignitate tractandam; tum mihi, ſummis jam beneficiis, prius etiam, quam in ampliſſimum Liberalium Artium Collegium, juſſu tuo, cooptarer, eidemque haud ita multo poſt ad triennium præficerer, a Te ornato, ad majus aliquid, grati animi cauſſa, conandum, nervoſque omnes & ætatis, & induſtriæ contendendos animum addet. Sic Te ſervet diutiſſime, ad publicam felicitatem, Italiæque decus, atque ornamentum D. O. M., ut quum omnia Tibi ego debeam tua jam benignitate, munificentiaque pene ſex luſtra continenter uſus, preces ſaltem quotidie pro incolumitate, tuis omnibus populis, quorum Pater revera es, tam merito optatiſſima, plurimos adhuc in annos, ſi mihi ſuppetant, adhibere poſſim.

L. B.

MIratus ſum ſæpenumero mecum ipſe non parum, quum ſacroſanctæ Sindonis Taurinenſis præſtantiam plane divinam diligenter expenderem, quod in tanto annorum ſpatio, ex quo ea regiæ Gentis Sabaudæ propria, ſingulari Dei munere, beneficioque ad publicam populorum felicitatem, decuſque eſſe cœpit, & in tanto poëtarum numero, qui hac præſertim ætate ſub Caroli Emmanuelis*, literarum Patroni munificentiſſimi, auſpiciis florent, illam nemo celebrandam juſto carmine, memoriæque ſempiternæ mandandam ſuſceperit. An vero, ajebam, tam auguſtum hoc, totque nominibus venerandum Linum, divini amoris pignus ſanctiſſimum, & non mortis modo ab æterno Dei Filio ultro obitæ, ut humanum genus veram in libertatem vindicaret, ſed & Reſurrectionis monumentum certiſſimum; tam miranda imagine inſignitum Linum, quam imaginem* ἀχειροποίητον *Cedrenus, ac Theophanes, &* θεότευκτον *Nicephorus jure appellant, quum hominum manibus non ſit effícta, divinoque Cruore (quod omnium maxime ejus venerationem auge-*

re debet) *imbutum*: *cujus Cruoris vestigia*, *ex duorum Pontificum* [1] *sententia*, *adhuc superant*; *tam mirabile Linteum*, *inquiebam*, *tamque evidenter*, *ac sæpe ab ipso Deo*, *quem pro nobis mortuum refert*, *prodigiis illustratum*, *non ejusmodi est*, *ut in ejus sanctitate celebranda nostrorum hominum ingenia*, *vel optima*, *egregia cum laude versari queant*? *An modus ipse*, *quo tercentis*, *& amplius*, *abhinc annis Sabaudorum Principum potestati*, *summum Familiæ decus*, *totiusque gentis præsidium nullo non tempore*, *ut sperare licet*, *futurum*, *permissum idem fuit*, *aut ad commemorationem jucundior*, *aut omnino illustrior*, *ac præclarior esse potest*? *Nempe Largitor ipse bonorum omnium*, *cujus nutu res cunctæ geruntur*, *ipse hominum*, *ac Superorum Pater omnipotens*, *qui tot e periculis illud eripuit*, *quique non modo ex impotenti profligatorum hominum furore*, *& mediis ex* [2] *flammis*, *sed ex ipsa longissimi temporis vi*, *quæ nemo nescit quam vehemens*, *præsertim in id genus res*, *esse soleat*, *hactenus vindicavit*, *id egit sui in Sabaudam Gentem studii*, *voluntatisque significationibus luculentissimis*, *ut non ex humana liberalitate*, *humanisque officiis profectum augustissi-*

1 Xysti IV in Dipl. dato Romæ an. 1480; & Jul. II an. 1506.
2 Camberii an. 1532. V. Ping. Sind. Evang.

mum Pignus, ſed æterno, ac ſingulari conſilio ad id temporis ab ipſo præſtituti reſervatum eidem Genti, ac divinitus traditum videretur.

Sed aliis fortaſſe otium, non facultas defuit: alii ſupervacaneum etiam cenſuerint quod, ex more antiquiſſimo, Regumque juſſu, ab eloquentiſſimis viris toties pro concione, tantaque ſpectatiſſimorum auditorum frequentia, quotannis laudetur, id verſibus attingere, ac perſequi: nec deerunt quoque, quos ipſius rei magnitudo, nec ſatis ſibi conſtans aliqua in parte hiſtoria ab hoc tam probabili, tamque Subalpinis ingeniis digno labore deterruerint.

Quare, quum ego hac in Urbe celeberrima prope natus, in qua earum ad artium ſtudia informatus fui, quæ ſi abſint ab hominum vita, humanitas ipſa, prope dixerim, abſit neceſſe eſt, Ejus certe regia munificentia educatus & altus, ex cujus nomine, ubique gentium clariſſimo, quidquid præſtantiæ ineſſe his ſcriptis poteſt, ſi modo quidquam ineſt, comparatum eſt: quum, inquam, jure, ac merito ego dolerem, unde tam illuſtris ſcribendi materia, tamque ingens laudis, univerſam in nationem redundaturæ, ſeges exiſteret, eam rem prope intactam adhuc, nondum certe ab excultiſſimis ingeniis tractatam, jacere; quumque diu fruſtra optaverim, ut qui ſcribendo plurimum poſſunt, nec ira-

tis Musis nati sunt, hoc in genere potius, quam in aliis, in quibus tamen summa cum laude versati sunt, suam maximam facultatem, ingeniique vim ostenderent, ipse tandem ad id animum adjeci, manusque adeo, experiundi potius studio, quam perficiendi spe adductus admovi.

Quid præstiterim tuum esto judicium L. B. Id te modo hic monitum ego volo, dum, quidquid illud sit, tibi probari ipsum cupio, magis ex dignitate rei mihi visum fuisse Pingonium sequi veluti ducem, qui se se dicit [1], *Emmanuelis Philiberti jussu, omnia perscrutatum diligenter in tabulariis, multaque a patribus accepta Camberii, ac veluti per manus tradita, avi etiam sui commentariis usus, memoriæ prodidit; & in cujus sententiam multi eruditione, doctrinaque spectatissimi viri hac in parte concessere; quam magis recondita monumenta evolvere, & a communi, magisque pervagata apud nos opinione discedere. Non enim historicum hic ago, sed eum, cui non modo ad historiæ leges exigenda non sunt scripta, sed ea præterea venia datur ab omnibus scribendi magistris, ut etiam falsa cum veris aliquando misceat, modo cum re, qua de agitur, apte cohæreant, & aliquam saltem veritatis speciem præsefe-*

1 In Epistola dedicatoria ad Franciscum ac Petrum Lambertos fratres Episcopos, data Augustæ Taurinorum an. 1579.

rant. Satis constat ab inclyta matrona[1] *in Camberii urbem illatum sacrum hoc Pignus augustissimum fuisse, regiæque domui Sabaudæ divinitus veluti adjudicatum: patuit multis haud dubiis, firmissimisque argumentis ejus sanctitas, Dei beneficiis pene innumeris subinde declarata. Utrum vero a Sequanis, in Asiam perrectura, ea Princeps fœmina, ut ibi captivum summo genere natum, sibique consanguinitate propinquum, e turcarum potestate eximeret, ut nonnullorum fert opinio*[2], *Camberio transiret; an e Græcia, Asiave, quod cum Pingonio bene multi*[3] *tradiderunt, ut in Galliam se se conferret, discesserit, parvi admodum mea referre, & haud magno in discrimine a me ponendum existimavi.*

Atque utinam, quod in animo habebam, cum laude perficere, & ex argumenti præstantia potuissem! In id enim unum scilicet incumbendum toto pectore, in id curam omnem conferendam arbitrabar. Utcumque autem res cesserit juvabit me certe, dum

1 Margarita de Charne, quam Pingonius de Sindone evangelica ac Joh. Tonsus in vita Emmanuelis Philib. tradunt ex antiquissima Lusinianorum Stirpe ortum duxisse.

2 Chifflettius de Linteis Sepulcralibus Christi Servatoris cap. 18.

3 Tonsus, ut sup. Joh. Botterus in Ludovico Sab. Duce. Palæottus lib. de Stigmatibus Sind. Daniel Mallonius in ejusdem lib. Comment. Prosper Bonafamilia &c.

vita ſuppetet, expertum eſſe; ſemperque illud obverſabitur animo, quod præclare Propertius, vel ipſam experiundi voluntatem, in magnis, probari ab æquis rerum æſtimatoribus ſolere, & ad laudem ſat eſſe.

Quod ſi deficiant vires, audacia certe
Laus erit. In magnis & voluiſſe ſat eſt. [1]

Ut autem aliquid etiam habeant qui latinis literis imbuti non ſunt, aut ab earum præſidio non ſatis parati, orationem italicam addidi, non ita multis ante annis a me habitam in Æde maxima, ac paullo poſt emiſſam, in qua multa invenies cum ipſo opuſculo cohærentia: eamque excipient nonnulla epigrammata etiam italica, quæ tibi equidem ob res miras, quæ in ipſis deſcribuntur, ad excellentem Doni præſtantiam evidenter declarandam, a Deo geſtas, haud ingrata fore confido. Vale.

1 Prop. lib. 2 el. 11.





DE SINDONE TAURINENSI

LIBER PRIOR.

ARGUMENTUM.

Sacrosancta Sindon servatur in Charnes oppido a Margarita de Charne ex Lusinianorum familia, oppidi Domina, quæ templum ibi excitare parat, ut sollemnes honores in eo reddantur divino Pignori. Hoc ejus consilio intellecto, stygius Tyrannus concilium habet; & deinde immittit delectam manum suorum fratrum in Thraciam, ut belli studio accendat Maumethen Regem. Adornatur bellum; ejusque apparatus describitur. Quum ejusdem incendio jam ardent omnia Joseph ab Arimathia æternum Patrem orat, ut Sindonem servet. Hinc Dei precibus exorati responsio, & futurarum rerum prædictio. Deinde injicitur Margaritæ studium Charnen linquendi; quæ in Galliam tendens maritimo itinere in Italiæ fines se confert; &, superatis alpibus, juxta quas frustra flet vehementissime sacrum Linum, sibi furto sublatum, Camberium denique accedit.

EXuvias sacras, cœli venerabile Donum,
Queis Deus idem & homo exanimus, sævaque refixus
Arbore, supremo ne mortis honore careret,

Plurimus assurgens Casius circum undique adumbrat,
Quosque undis Cherseus rigat hinc, & Eleutherus inde
Oppidum erat quondam (Charnen dixere priores);
Nunc nec honos pago, nec gloria, paucaque prisci
Vix superant decoris vestigia. Margaris illud,
Corpore præstanti mulier, pietate secunda
Nulli, clara genus (celebri nam sanguine eorum
Creta Ducum, primi qui gallica signa, Crucemque
Arce super summa, Regumque in sede vetusta
Victores tandem Solymis statuere subactis,
Judæaque omni edomita) ditione tenebat
Justitia frænans populum, multasque per oras
Extendens factis, externaque littora nomen.
Hinc ipsam perhibent *Charnin* cognomine dictam.
Sacra ibi divini pignus venerabile amoris,
Ipsiusque manu Sindon, non artibus ullis,
Humanisve opibus picta, egregiumque tropæum
De morte, ac stygio frustra obluctante tyranno
Et servata diu Dominæ in penetralibus altis
Clausa ebore, ac cedro, & quod circumque, supraque
Inductum formæ decus ingens auxerat, auro,
Et thure, atque focis, ut tempora sæva tulerunt,
Culta fuit merito, magnis & honoribus aucta.
Namque ubi vix tandem, cognati munere Regis,
Voti facta potens, quo non ardentius ullum
Unquam animo insedit, certe haud sine numine summo
Ipsa suis potuit pia Charnis in ædibus illam
Explicitamque oculis lustrare, & singula obire
Quæ cruor impressit lethi miro ordine signa,
Protinus & cultu Monimentum insigne paravit,
Ut mos tunc patrius, celebrare, & plurima figens

Oſcula nunc Telæ, nunc &, qua Tela repoſta,
Arcæ ipſi, lacrymis ita demum fatur obortis:
Te ne Patris ſummi, & Superûm juſtiſſima cura,
Inclytum amoris opus, Sindon, ego denique avitis
Excipio tectis? Datur ora hominiſque, Deique
In te, ſi libeat, depicta cruore tueri?
In te pœnarum facies, quibus Ipſe, piato
Crimine communi, mortalibus attulit ægris
Spem vitæ, atque fores tandem reſeravit olympi?
Relliquias potero divini Sanguinis [1] in te,
Quandocumque velim venerari, & cernere ſparſas?
Salve o purpurea chlamide omni auguſtior, auro
Quæ rigeat, nitidoque oculos fulgore fatiget,
Cœlicolumque amor, & cultu digniſſima noſtro.
Semper honore meo (maneat modo vita), meiſque,
Quo res cumque cadant, ſemper celebrabere donis.
Tu mihi ſola, novum generi decus addita noſtro,
Proſpera ſi faveat fortuna, eris uſque voluptas,
Tu mihi in adverſis curarum ſola levamen.
Sic effata polo cum palmis lumina læta
Attollit, grateſque Deo perſolvit, & ipſum
Muneris auctorem tanti agnoſcitque, vocatque.

1 Dignum profecto videtur & debitum, ipſam Sindonem, in qua Reliquiæ humanitatis Chriſti, quam Divinitas ſibi copulaverat, videlicet *ipſius veri ſanguinis*, ut præfertur manifeſtæ conſpiciantur, venerari, & adorare... Verba ſunt Julii II. P. M. in Dipl. *Romanus Pontifex* dato Romæ an. 1506. Vide etiam pontificium Diploma Xyſti IV dat. an. 1480, & ejus Tract. de Chriſti ſanguine, quem ſcripſit antequam ad omnium maximam dignitatem eveheretur, ut refert Daniel Mallon. cap. 5. de S. Sindone N. 2.

Tum ſibi ſuppliciter, ſeriſque nepotibus orat,
Ut propriam faxit, caſuſque avertat ab illa
Uſque omnes, & det cultu celebrare perenni.
Inde diem ſignans ſollemnem indicit honorem
Tempus in omne ſuis, penitaque in ſede locatam
Muneribus cumulare parat ingentibus arcam.
Nec longum in medio tempus: ſtetit ilicet ara
Magna ſinu amplectens totam, multoque refulſit
Argento, atque auro. Vis oſtri deſuper illam
Hinc, atque hinc pendens, & partes didita in æquas
Plurima velabat: nitidi e laquearibus alte
Suſpenſi lychni adſtabant, phrygiique tapetes
Parietibus, pictæque ſuper mira arte tabellæ.
Addita præterea ſolidi æris plurima ſigna,
Plurimaque argenti, queis lethum informe videres
Cælatum egregie, pœnaſque, indignaque cuncta,
Quæ tulit humani generis miſeratus iniquam
Sortem inſons proprio Qui ſanguine textile Donum
Sparſit, & impreſſam effigiem, monumentaque diri
Funeris ad vitæ revocatus munera liquit.
At tabulis ſacri decus admirabile Pepli
Unde ſit aſpiceres, totamque ab origine prima
Factorum ſeriem: namque hinc arimathius Heros,
Poſt fera fata Ducis, caſu concuſſus acerbo,
Verum animi fidens dextram tendebat inermem
Romulidæ, Syriam qui olim frænabat opimam
Cæſaris imperio miſſus, tectiſque ſub altis
Suppliciter triſtis tumulo decorare Magiſtrum
Extinctum ſineret, ſupremo & honore, rogabat,
Hinc voti compos jam barbara culmina montis
Aſcenſu adnitens celeri ſuperarat, eique

Se comitem addiderat Nicodemus, & arbore sæva
Demissum Corpus vittis, clavisque refixum
Alter ab alterius manibus, fletu ora, sinumque
Suffusi largo excipiebant: mundaque Sindon
Supposita, involvens, totum complexa tegebat.
Sanguis adhuc summo de vertice, sanguis ab imis
Manat adhuc pedibus, dixisses, sanguis utraque
De palma, atque truci violato e pectore ab hasta:
Nec quicquam, nisi sanguis, erant caput, ora, manusque,
Trajectique pedes, discissaque terga flagellis:
Hocque videbatur perfundi, hoc imbui Amictus.
Diva Parens circum, & comitum pia turba cruentam
Artibus ex laceris cædem abstergere parabant [1]
(Triste ministerium!), & tundebant pectora palmis.
Parte alia tumulo, cui jam venerabile Corpus
Mandatum, affusæ saxumque, sinumque rigabant
Uberibus lacrymis, & vix avellier inde
Posse videbantur; vix mœsta ad tecta reduci.
Nec longe, procerum jussu, custodia missa,
Quæ busto invigilet, noctemque armata, diemque
Asservet, sociosque abigat, si forte propinquent,
Stabat acerba tuens primum; mox lumina tandem
Declinans somno super arma evincta jacebat.
Inde loco emotam, Corpus quæ magna, tegebat
Cernere erat molem, patefactaque claustra sepulcri;
Exutusque hominis quæcumque obnoxia morti,
Mundi opifex Genitor, claraque in luce refulgens,
Ceu, tenebris pulsis, sol emicat aureus undis,

1 Vid. Chiffletium de Lint. Sepulc. cap. 23; & lib. 2 Revelat. B. Birgittæ c. 21.

Rursus ad ætherias prodibat luminis auras.
Divinum ex oculis, divinum ex ore decorem
Spirabat, juxtaque comas mors scissa fremebat,
Quam manus artificis, vultuque, oculisque fateri
Se victam, & fracto pavitantem fecerat arcu.
At circum attoniti, & cœli velut ignibus icti
Stabant custodes torquentes lumina inanem
Ad tumulum; ut quondam, rupta si forte caverna
Flamma furens surgat, piceusque ad sidera fumus
Attollat se se, miram stupet inscia celso
Prospiciens speciem tecti de culmine turba.
Nec non cum sociis myrrham, costumque ferebat
Magdalides virgo tristi dona ultima busto,
Ore, oculisque edens magni, quo percita, amoris
In Dominum signa; & crinem sibi vellere amaras
Effusam in lacrymas, gemituque implere videres
Et nemora & montes, quod inani e marmore raptum
Crederet, ac vana spe lusam seque, suosque.
Cui subito astiterat cœli de vertice lapsus
Egregia juvenis forma, & fulgentibus alis,
Inque alba veste, & dictis tergebat amicis
Virginis ex oculis fletum, & nova gaudia mente
Concipere exhortans fata ad meliora vocabat.
Parte alia Sindon exstabat, & arte magistra
Effícti circum Aligeri, ac pia turba, frequensque
Lumina defixi Donum cœleste stupebant:
Extremasque oras pars hinc, parsque inde tenentes
Luminibus taciti lustrabant omnia cuncti
Vulneraque, speciemque oris, cædisque nefandæ
Cætera signa novo Telæ super addita ritu.
Undique spectandi studio juvenesque, senesque

Addiderat, naturam æquans imitando, ruentes
Docta manus sua cuique animi argumenta, notasque
Distribuens vultu, vix ut verba ipsa deesse,
Singula mente putans, ut par, simulacra putares.
Tinctam præterea caprino sanguine vestem
Jamdudum invisi narrata ob somnia fratris
Ad patrem e silvis, mentiti voce dolorem,
Funera mentiti fratres, fera turba, ferebant.
At senior tunicam, puero quam neverat ipsa
Purpuream mater, sumens, & pallidus ore
Percurrens oculis simul ipsam flumine largo,
Canitiemque simul menti, vultumque rigabat,
Crudelesque feras, crudelia fata vocabat.
Ah quoties positam juxta aram pectus honestum
Aut sibi tundebat genus alto a sanguine Charnis
Supplicibus palmis, acri & stans fixa dolore,
Aut animi victa, in lacrymas effusa, rigabat!
Mente etenim semper, quæ Christus, quantaque passus
Pro cunctis unus, scelus ut commune piaret,
Volvebat memori: ut, manibus post terga revinctis,
Per fora, perque vias, procerumque per atria raptus;
Arbitria ut tulerit cœlo demissus ab alto
Sæva hominum, linguæque trucis convicia passim;
Ut sanguis sectos flagris crudelibus artus
Laverit excurrens divino a vertice, dumis
Præcincto, & terram late tepefecerit ipsam;
Utque pedes duro scissi, ut manus utraque ferro,
Et tandem immanis pectus violaverit hasta.
Jamque recursabant lustranti singula funes,
Jam flagra, jam vepres, & acuta cuspide vectes,
Hastaque, truxque arbor, cædis monimenta nefandæ.

Hinc illi haud alius celsis sub sedibus usquam,
Quām sanctum penetrale locus dilectior: illam
Hinc solita ad sedem cunctis se ferre diebus,
Præcipue æquoreis ubi jam revehebat ab undis
Sol jubar, & tenebris quum terras cinxerat atris
Humida nox; donumque memor recolebat, & aræ
Usque manu plena meritos addebat honores.
Multa quoque, ut perhibent, studio succendit eodem
Pectora Charneadum, & miro inflammavit amore
Pignoris eximii, nullo quod carmine quisquam
Sat celebrare queat: multique, ubi facta potestas,
Matres atque viri, per limina sacra frequentes,
Criminibusque suis veniam, pacemque rogabant.
Præterea hæc illi tandem sententia menti
Sederat, e solido ponendum marmore templum,
Atque aram in medio, donis quæ surgeret aucta
Usque novis, vigilique igni fulgeret, & auro:
Jamque locum ingenti, sinerent si fata, futuræ
Optabat moli: parias jam mente columnas
Volvebat tacita, cælandaque marmore signa,
Atriaque, artificesque operum, & decora omnia secum;
Infectumque aurum prudens, factumque parabat.
Consilium sed enim, vix dum mortalibus usquam
Compertum, haud potuit durum, immanemque tyrannum
Tartareo in regno, & fratrum fera corda latere;
Famaque vicinas nondum vulgata per urbes,
Vixque increbrescens obscura, incertaque Charne,
Imas sub sedes descendit, opertaque terræ,
Qua via nota, petens stygias subito impulit aures.
Ergo statim irarum magno Rex fluctuat æstu,
Et fremit horrendum torquens huc turbida, & illuc

Lumina, despumantque atro rabida ora veneno.
Sic ubi flamma furit coitis undantis aheni
Suggesta, exsultantque undæ, it vapor ater ad auras
Plurimus, & labro vix se se continet humor.
Tum jubet ad se se diris e fratribus omnes
Delectos proceres acciri, omnesque ministros,
Qui scelera hortari, & mortalia fallere corda
Assueti, atque aliis mage vafri partibus orbis
Nunc his, nunc illis jussi, perque ipsa vagantur
Limina, & usque novis redeunt, miserabile dictu,
Prædis, ac spoliis tenebrosa sub antra superbi.
Nec mora: terribilem fera buccina culmine ab alto,
Concilio horrendo signum, patribusque vocandis,
Dat sonitum, reboantque specus, totumque remugit
Mœnibus ignifluis septum illætabile regnum,
Attonitique stupent trepida formidine Manes.
Tum ruere ad portas, ut jussa superba capessat,
Gens omnis visa, & subito sua linquere lustra.
Omnibus ignescunt oculi; furor omnibus ore
Eminet ignivomo: multi pro crinibus angues
Hinc atque hinc pendent intorti, collaque circum
Impliciti nexant se se, & capita ardua tollunt.
Hæc facies cunctis: horret pars cætera miris
Fœda modis: aliis sinuosa volumine cauda
Verrit humum serpens, & se se findit in ambas
Pube tenus partes immanis, & hispida; Sphynges
Hi manibus, pedibusque; alii squalore videntur
Horrendo, atque alis Harpyæ: Gorgonas illos,
Ast hos Centauros dicas, lyciasque Chimæras:
Aprorum hi pedibus figunt vestigia, at illi
Unguibus; hi pecudum plantis; pars multa luporum;
Stantque

Stantque manu cunctis sævique, uncique tridentes.
Postquam introgressi, ternis e naribus ignes,
Sexque oculis efflans erebi Regnator opacam
Personat horrendum, tria pandens guttura, sedem,
Terque solum pedibus, ferroque tricuspide pulsans,
Impatiensque iræ sic tandem vocibus infit:
O mecum, proceres, superis e sedibus una
Dejecti, quarum fuimus splendorque, decusque;
O vim non meritam, atque indigna opprobria passi
Unius invidia, qui nos multavit iniquo
Exsilio insontes, tenebrasque has trusit ad imas,
Quæ bella hic iterum humana sub imagine nobis
Moverit, & quoties trepido data regna tumultu,
Instans vi patria, cœlo demissus ab alto
Miscuerit Natus, notum omnibus. Heu quibus Ille
Artibus instituens nova sacra, novosque per urbes
Hac, illac ritus, hominum genus omne parata
Ad sceptra accivit? Quæ in nos odia aspera movit
Avertens animos, lucemque, & commoda suadens
Temnere amore sui? Quin & ferus adstitit istis
Sedibus irrumpens manifesto in lumine nostri
Securus, nostrasque domos cælestibus armis
Fretus depopulans superas eduxit ad auras
Jam mihi concessos, patrio & transcripsit olympo.
Heu frustra obniti, telisque insurgere contra,
Atque animis ausi ruere omnia protinus uno
Ipsius impulsu stridentia ahenea claustra
Vidimus, & vectes, & duri robora ferri
Irrita cessisse, & frustra dolor ossa peredit.
Quid repetam acceptas exinde per oppida clades?
Quid manibus prædas prope nostro in limine nobis

Ereptas toties, quod nempe in vota vocatus
Ipse suis facilis viresque, animosque ministris
Exitium in nostrum cœlo suffecit ab alto?
Caussa mali tanti mors ejus. Scilicet ipsa,
Divinoque cruor fusus de corpore tantos
Hos peperit luctus: ipsa una & jura refixit
Tartarea, atque aditum patefecit ad ætheris axem
Proh dolor! indignis, mortali & sanguine cretis.
Hinc hominum mentes promissa ad gaudia passim
Arrectæ; hinc animis tot nostrum in dedecus acti
Omni ætate viri, terreri nescia corda,
Proque sua (stulti!) multorum proque salute
Æterna, ut docti, lethum pepigere volentes.
Sed quid ego hæc autem jamdudum nota revolvo?
Quidve elapsa queror, maneant quum maxima, & instent?
Mœnibus ut Charnes illata, & sedibus altis
Ora Dei referens, imbutaque sanguine Vestis
Non latet, o socii. Sed non sine honore sub illis,
Ut toties, tectis vilis premit arca jacentem.
Jam nitet ara super donis ingentibus aucta,
Thureque sæpe calet: jam limina nota celebrat
Turba virum, ac matrum, precibusque & fletibus omnes
Sæpe suis factis veniam, pacemque reposcunt.
Dux semper cunctis nostro infensissima regno
Fœmina: nec verbis solum execrabile Donum
Eloquio pollens commendat: pectora fletu
Præterea ciet, & miscens suspiria flectit
Voce regens, falsisque implet rumoribus urbes.
Quid struat his cœptis quæ pectora vestra latere
Jam queat? Heu templi parat illic tollere molem,
Marmoreasque aras centum, quo textile Velum

Pendeat hinc medium, peregrinaque lumina paſcat.
Haud incerta cano, proceres; jamque horrida bella
Cerno animo, & clades, queis nos, ni obſiſtimus, omnes
Gens inimica premet nova ſemper prælia miſcens,
Audaceſque animos miranda ab imagine ſumens.
Scilicet id mulier jam nunc tenditque, fovetque.
Quare agite, & tantam, ſi vos communia tangunt
Ludibria, hanc peſtem, dum fas, avertite. Tuta
Hæc mihi, quam pandam, ratio, hæc via ſola videtur.
Eſt Hebrum juxta ſtudiis aſperrima belli
Urbs, & eam imperio regit ingens fortibus auſis,
Egregiuſque animi juvenis, quem nomine dicunt
Maumethen, & quo non alter amicior uſquam
Eſt nobis toto, quem ſol circumſpicit, orbe.
Huic aliquid magni jamdudum invadere magna
Mens agitat, nec dat membris ea cura quietem.
Ite ergo, & belli ſtudio tanta indole digno
Exagitate animum. Fremat ipſe arma, arma juventus
Dein fremat, atque velit, quam lata eſt Thracia, terris
Omnibus, & cunctos (ſic ſtat ſententia) circum
Æmathios per agros, & græca ſub oppida inundet.
Hinc & ſub Caſium, Charnes ubi mœnia ſurgunt,
Mars ruat auſpicibus vobis, atque omnia flammis
Miſceat. In tanto quid vos tunc cardine rerum
Moliri expediat non eſt memorare neceſſe.
Audete, ut ſoliti, curæque, acriſque doloris
Cauſſam omnem nobis, ſubjectis denique tædis
Tollite; ſuſpectaſque aras, congeſtaque dona,
Tectaque, cultoreſque una voret igneus ardor.
Sic paret æternos Lino perſolvere honores
Fœmina: ſic templum ponat, tollatque ſub aſtra.

Talia flammato fundebat pectore cœtu
In medio frendens ſtygiæ trux Arbiter aulæ;
Quum ſubito erumpens ſuperas ſe immiſit ad oras
Terribili ſtridore cohors data juſſa faceſſens,
Tænariiſque ruens e faucibus, agmine facto,
Summa petit Rhodopes nitens immanibus alis
Culmina, & odryſii ſtetit Hebri denique ripis.
Concita ſubſedit magno late impete tellus,
Vicinique lacus tremuere, & inhorruit æther.
Sic, ubi jamdudum æſtivus deferbuit ardor,
Et pater Autumnus lætis caput extulit arvis,
Strymoniæ quandoque grues in pabula campis
Cum ſonitu incumbunt, & obumbrant æthera pennis.
Dein qui tartareis primus ſe ſe extulit antris
Agmen agens Dramelech, turbaque immanior omni
Liminibus Regis citus, & penetralibus altis
Succedit; ſtudioque comes veſtigia eodem
Figens Alecto longis it dira colubris
A capite ad pectus nexa, & vomit ore favillas.
Nox erat, & medium furvis invecta quadrigis
Jam ſpatium nebulas inter trajecerat atras:
Quumque quieviſſent late omnia, & altus haberet
Cuncta ſopor terris animalia feſſa, quietem
Purpureo placidam carpebat thracius heros
Ipſe quoque in lecto, & lenibat pectore curas.
Ergo prius formam ſtygiæ vetus incola ſedis
Exuit infernam, vultumque, habitumque Amurathi,
Unde genus ductum Maumethi, & thracia ſceptra,
Induit, & patrias, homines ut fallere ſuetus,
Mentitus voces ſic denique turbidus infit:
Ergone jam fractæ torpent in pectore vires

Nate tibi? Torpet quæ quondam maxima de te
Omnia ſpondebat digniſſima ſanguine virtus?
Nam cur in patrio tam longa hæc otia regno
Lentus agis? Cur arma ſinis ſuper arma jacere,
Et pubem, atque patres reſidi languere veterno?
Non hæc dilecto quondam promiſſa parenti
Nate dabas, premerent quum fata extrema, dieſque
Clauderet ipſe ſuos nati tanta indole lætus;
Nec regnum hoc nobis, & quæ decora alta per ædes
Multa nitent, languor, molliſque ignavia vitæ,
Sed dubiis peperit virtus exercita rebus,
Ingenteſque auſus, bellique exhauſta pericla.
Rumpe moras ergo, & fatis debentia magna
Regna tibi telis invade, & pectore firmo.
Non ea longinquis quærenda in finibus: ipſa
Oſtendunt ſe ſe noſtris conjuncta: nec arma
Ipſe feres primus, quum jam (heu meminiſſe neceſſe eſt!)
Meque laceſſierint ſtimulis furialibus acti
Infenſi populi, fatiſque ego victus acerbis
Nequidquam optarim penitus reſcindere gentem,
Ut meruit ſcelere, & ſceptris opibuſque potiri.
Scilicet hanc laudem tibi ſors mihi iniqua reſervat.
Surge age; quoque patris te ſpes, quo publica vota,
Quo tua jamdudum virtus vocat, i pede fauſto.
Nullum habeat juſta ira modum; lacrymaſque, preceſque
Contemne invictus; nec fraudi parce, doliſque
Vis ubi, & arma parum, bellique pericula poſſint.
Id pugna, ut vincas: aliam de pectore curam
Mitte omnem. Vinces autem ſi neſcia flecti
Mens tibi perſiſtat; ſi flammis omnia victor
Sacra abolere pares, quæ non ſat firma tuorum

Relligione sua possint prævertere corda:
Nulli si parcas mediis in fluctibus iræ,
Nec moveat quævis miseris te fletibus ætas.
Talibus instabat dictis, animumque ferocem
Sponte sua, ac sævum belli stimulabat amore.
Qualis ubi in silvis acres clamore molossos
Incitat e tumulo visum venator in aprum,
Insequiturque oculis, animisque audacibus implet.
At juveni interea diros, queis sibilat, angues
Admovet Alecto, tetrumque inspirat eorum,
Terque, quaterque manu quassans, sub corde venenum,
Tartareamque facem jacit, & ciet igne furorem.
Inde statim stygiis cum pestibus effugit una
Somnus, & e strato se se Rex proripit alto.
Lumina stant flammæ misero: stant vertice crines
Arrecti, totoque fluit de corpore sudor.
Urit atrox animum scelerati insania belli,
Immistusque pudor, patriæ & spes æmula laudis.
Nec mora, nec requies datur ulla, jubetque parari
Protinus ad bellum pubem, totamque sub arma
Hinc Thracan cogi, clypeosque, ensesque novari.
Jamque peragrabat stygiæ pars cætera gentis
Oppida, idemque animis studium succendere passim
Nunc infecta canens, nunc facta infanda parabat;
Indueratque hominum facies, & in omnia se se
Vertere vafra dolos versabat ubique latentes.
Singula lustrabant, ficta sub imagine, tecta,
Cuncta fora, atque vias, hominumque per ora ruebant:
Omnibus idem animus, cura hæc sedet omnibus una
Spargere pectoribus virus, cæcumque furorem
Subdere criminibus belli, ut velit arma juventus.

Protinus ira ardens, odiis & certet acerbis.
Jamque his, jamque illis acuunt rumoribus urbes,
Sollicitantque animos, ſtimuloſque audacibus addunt,
Nec domus ulla vacat furiarum afflatibus uſquam.
At ſata nocte, comas diris ſerpentibus hirta,
Virgo tuba horribili nunc huc, nunc protinus illuc
Advolat accinta, & terret clangoribus auras
Bella canens, turreſque petens, & tecta domorum.
Audiit horrendum ſonitum procul ære tonanti
Increpitum late caput inter nubila condens,
Armigeroque Hæmus ſedes gratiſſima patri;
Audiit Edonus, pangæaque culmina; & omnes
Intremuere lacus, vicinaque littora circum;
Pignoribuſque ſuis per compita quæque timentes
Attonitis preſſere animis ad pectora matres.
At, quos laudis amor ſtimulat, quos vivida virtus,
Magnanimi juvenes, & bello fortia patrum
Pectora, continuo, ſummiſque e montibus omnes
Undique concurrunt, imiſque e vallibus una,
Littoribuſque procul, ductorum & juſſa faceſſunt.
Plurima pinifero deſcendunt agmina ab Hæmo,
Cædis amans ſoboles, duroque e robore nata,
Cui neque mos ullus, neque cultus, prædaque victum,
Et vis ſuppeditat teneris exercita ab annis.
Sæva ſupercilio ſedet ira, atque horrida mentis
Aſperitas cunctis, flammæ ſtant lumina, & hirti
Hinc atque inde pili pendent, ac ſæviter horrent.
His & Mœſorum juncti manus optima bello,
Atque Abylæ cives, & quos Meſembria campis,
Anchialuſque ſuis, Euxini & littora paſcunt.
Tum Bithiæ, & Sacro ſubjecta per æquora monti

Littore ab Athyræ, longæque Propontidis oris,
Callipolisque ab agris, Seſtique, Agoræque ruentes:
Quoſque Samos mittit, quos Œnos, & Iſmara Baccho
Grata juga, & circum quæ vomere rura Dorisci
Biſtoniique domant: cumque his qui ægea Sapæi
Littora habent, & qui Abderam linquuntque, bibuntque,
Pœonios contra, Neſtum: qui culmina linquunt
Pangæa, & Rhodopes impoſta magalia ſaxis.
Parte alia Beſſi, qua nomine dicta Philippi
Urbs præclara caput nemora inter plurima tollit,
Bellandique flagrant ſtudio, tectiſque repoſta
Arma citi rapiunt, Regiſque ad limina tendunt.
Hos ſequitur pubes, quam Sardica mittit, & Œſci
Littora: dein, torvo qui mentem lumine, & una
Corporis eripiunt vires, gens ſæva Triballi,
Vivere qui rapto ſoliti, ſilviſque vagari,
Atque agitare dies. Villis humeroſque, ſinuſque,
Atque manus horrent: barba horrent plurima, & hirtis
Crinibus impexis: tum moles corporis ingens
Omnibus, horribilis facies, incultus amictus,
Atque nova ſemper ſæva arma tepentia cæde.
Quin & vicinis acciti finibus una
Hirſuti, durique Getæ ſub thracia multi
Conveniunt ſigna, & læti ſocia agmina jungunt.
Odryſiis ergo lituo, cornuque recurvo
Undique collectæ ſe cunctæ denique campis,
Ut juſſæ, effundunt forteſque, acreſque cohortes.
Omnibus idem ardor patria decedere terra
Ocyus ad prædam, ferroque invadere martem.
At non arma eadem cunctis. Pars eminus hoſtem
Impetere aſſueti, primique laceſſere pugnam

Luna-

Lunatosque arcus humeris, pictasque pharetras
Suspendunt habiles, & lucida spicula gestant:
Nec vacat ense latus: fulva de pelle luporum
Tegmen inest capiti: crudus vestigia multis
Pero tegit; genuumque tenus pars plurima nudi.
At qui stare acie docti sæva agmina contra,
Vimque inferre manu, atque animis certare paratis
Aut ab equo in cædem proni, aut capita ardua campis
Tollentes pedites, vultuque, oculisque minantes,
Pars manibus contos præfixa cuspide crispant,
Pars lateri oblongos accingunt pellibus enses;
Falcatosque alii: micat his in vertice cassis
Ærea, pectoribusque micat, validisque lacertis
Ferratus thorax: raptus de subere cortex
Impedit his crines, duroque e robore; at illis
Hispida multiplici pellis circumdata nexu;
Fortiaque insertant lunatis brachia peltis.
Sunt, quibus immanis gravat armos ascia: multi
Ferratosque manu truncos, sævosque dolones
Nunc hos, nunc illos docti, quum fervidus urget
Mars, agitare, gerunt; uncisque tridentibus horrent
Haud pauci instructi, flammataque lumina torquent.
Nec non & glandes liventis spargere plumbi
Plurima pars ferro stridenti, & canabe torta
Sueta, prius stricto quam rem gerat ense, ruatque
Agmina in adversa oppugnans, aut mœnibus altis
Obstantes cives protrudere, funibus arcus
Ingentes humeris succingit; & ensibus addit
Non istis metuenda minus, si cominus hosti
Concurrat, vallumve ferox perrumpere tentet.
Interea patriis Maumethes acer in armis,

Et ſpectandus equo inſigni, ſpectandus & auro
Adſtitit ex Hebro, multiſque e millibus illum
Tercenti lecti, bello ſpectata juventus,
Et totidem Proceres, patrio de more, ſecuti
Circumaderant in equis Abderæ in ſaltibus ortis;
Vertice quos toto ſuperans Rex protinus omnem
Luſtrat equo pubem, ac florentes ære catervas
Singula diſpiciens; curruſque, atque arma parata
Obſervat tacita mentem dulcedine captus.
Tum numerum ingentem peditumque, equitumque recenſet
Ductores inter primos, præclaraque diſcit
Nunc hos, nunc illos animis audacibus implens,
Facta virûm, & paſſim laudis ſuccendit amore
Pectora, dum belli ad diſcrimina ſæva parare
Quemque jubet ſe ſe, & præſumere præmia mente.
Jamque huc procurrens ſua ſub vexilla coactis
Agminibus cunctis longo ordine, & ilicet illuc
Ore, oculiſque ardens, & magna ſpe fervidus, omnes
Edicit tandem, quum primum albeſcere cœlum
Cœperit, armatas campis decedere turmas.
Nec mora: dat ſonitum tuba quæque, tonatque fragore
Hinc atque hinc rauco cœlum omne: it teſſera ſignum,
Et bicolor celſa, deciſis undique ramis,
Ilice dependet ſublatus ad æthera pannus.
Ergo ubi, curatis ſomnoque, ciboque catervis,
Poſtera puniceo ſe lux diffundere ab axe
Viſa procul, monteſque oriens aperire propinquos,
Protinus horrendo ſtrepuerunt cornua rurſus
Cuncta ſono: varius late ivit ad æthera clamor
Plurimus, & campis exercitus omnis apertis
Effudit ſe ſe. Meſithus prima agmina avitis

Insignis titulis; animoque Acmatus, & armis,
Non genere egregius: postrema haud fortibus ausis,
Ast ævo inferior Bossenus ducit Omarbeus,
Cui comes Asmirathus græco de sanguine cretus
Acri in equo graditur cataphractus, vertice summo
Nexilibus vittis, multoque nitentibus auro
Insertam quassans getulo e murice cristam.
Hos inter medius Maumethes omnia secum
Mente putans tacita nunc & properantibus instat,
Nunc animos acuit, verbisque instigat amaris;
Castigatque omnem, si qua est mora, & ira, furorque
Atque metus circum, insidiæque, dolique sequuntur.
Nec scelerata cohors stygiis emissa tenebris
Ejus abest latere: hinc ipsum comitatur & inde,
Et circum, supraque volat, neque cernitur ulli,
Spesque alit ingentes juvenili in pectore, & acres
Usque magis stimulos tacitis hortatibus addit.
Sæpe viris etiam se miscet, & aspera corda
Succendit pugnæ, prædæque ac cædis amore;
Sæpe animos resides impellit, & asperat atrum
Diffundens cunctis subter præcordia virus;
Lætitiaque, virûm numerumque, habitumque tuendo,
Armaque tam varia, & stridentia plaustra sub ipsis,
Cornipedesque feros, fremit, horrida prælia secum
Mente movens tacita, sperataque præmia versans.
Interea pulsuque pedum, gemituque rotarum
Omne nemus resonat, glomeratus ad æthera pulvis
It nebulæ in speciem late, & diffunditur arvis:
Astra ferit clangor, tremulusque hinnitus equorum
Hinc illinc creber, perque oppida cuncta, domosque
Ingruit armorum qui pectora concutit horror.

Ac veluti verni ſub finem temporis olim,
Quum, Pœnine, tuis e ſaltibus ortu, tuiſve,
Veſule, culminibus, conſurgunt nubila, & alte
Ilicet aërios per tractus ſæviter atra
Diffundunt ſe ſe, ventiſque abrepta feruntur,
Et tonat horrendum, & præſtinguunt lumina crebræ
Hinc illinc reſono vibratæ ex æthere flammæ,
Ingentemque ſatis ſtragem, arboribuſque minantur;
Tum populi late trepida formidine preſſi,
Attonitiſque ſtupent animis, & pectora palmis,
Quiſque ſuis agris metuentes, undique tundunt,
Incertique hærent, quo ſe ſe nubibus acta
Immittat furibunda imbris vis omnia vaſtans:
Haud aliter circum gens quæque, ubi didita campis
Fama refert turmas procedere, & agminis omnem,
(Ut ſolita eſt augens) numerumque, habitumque recenſet,
Vota metu ingeminat, ſubito turbante tumultu,
Quidve paret neſcit, propriis confidere rebus
Vix audens, nec quid fugiat, ſperetve, petatve;
Dumque agitant ſecum, quo ſit ruitura procella,
Ancipitique animo ſua quiſque pericula verſant,
Omnibus horreſcunt nequicquam præſcia longe
Corda, coitque adeo haud paucis formidine ſanguis.
Nec longum in medio tempus: bella aſpera ſurgunt
Protinus, & campis fundunt ſe ſe agmina apertis,
Quaque ruunt vaſtantque agros cultoribus, urbeſque
Invadunt ferro paſſim, atque incendia miſcent:
Nec validæ obſiſtunt, quas vis inimica, furorque
Adgreditur, turres, nec fortia pectora contra
Stare audent, obſtantve diu munimina Martis.
Sic ubi præcipiti ruit alto a culmine lapſu

Imbribus exauctus torrens, nivibusque solutis,
Oppositas sine more furens ipso impete moles
Disjicit, & raptas vicina per æquora victor
Sæpe agit excurrens, cœnique alto aggere cingit.
Quid memorem fusum natorum ante ora parentum?
Quid matrum, atque senum per limina victa cruorem?
Quid maria, ac fluvios tinctos, & pinguia tabo
Rura, triumphatasque arces, urbesque, soloque
Æquatas turres, & propugnacula strata?
Impia quin etiam sacras convertit in ædes
Arma ferox victor, miscensque incendia, opesque
Diripiens multo fœdavit sanguine passim.
Heu quot lecta virûm ipsas obtruncavit ad aras
Corpora! Quot teneros pueros, castasque puellas!
Quotque sacerdotes, quos nec pia facta, decusque
Priscaque canities, lituusve, aut infula texit.
Nec minus in Divûm effigies, simulacraque sancta
Proh dolor! exarsit furor impius, auspice turba,
Quam stygii emisere lacus, tenebrosaque regna:
Non correpta modo, & manibus temerata cruentis
Sacra, sed & pedibus (visu miserabile!) in ipsis
Delubris pressa, & turbæ data præda procaci.
Jamque omnes circum, longeque impleverat oras
Fama ducis sævi, & crudelia facta pavorem
Intulerant audita procul per compita quæque
Matribus, atque viris, perque omnia littora passim;
Quum Joseph [1], præstans olim, dum vita manebat,

1 Ab Apostolis missus ad prædicandum Evangelium multa tulit, ac præter cætera venenum etiam bibere coactus fuit, quo illæsus tandem eximiis virtutibus clarus obiit.... Ejus dies festus legitur in Martyrologio. Dan. Mallon.

Egregiusque animi, belloque Arimathide in ora
Inclytus, in Regni nunc parte, ac sede locatus
Æterna, Christo quod se comitem addidit ultro
Signa sequens, meritosque ipsi, convicia temnens,
Persolvit constans supremo in funere honores,
Sic Lino metuens, quo membra involverat, atro
Sanguine perfusa, & sortem miseratus iniquam
Christigenæ gentis summum, qui numine terras
Torquet, & immensum Genitorem affatur, & orat:
O, cui cuncta uni merito, Pater optime, parent,
Quique notos nutu, tempestatesque furentes
Nimborum, mariumque potens, ac bella coërces,
Vincere, si libeat, dans, & præcingere lauro
Tempora, quum cœpti nulla est fiducia belli,
Qumque magis tumidus ruit hostis, marte secundo,
Insultatque ferox, cur tantum, quæso, in amica
Regna Tibi, & quorum fines, data jussa facessens,
Ipse tuus proprio perfudit sanguine Natus
Nostra luens scelera immiti, audacique tyranno,
Et turmis licuit sub barbara signa coactis?
Non ne vides, quantas stimulis furialibus actus,
Atque odio fera corda tumens, stygioque veneno
Ediderit passim disjecta per oppida strages?
Non æquata solo cernis, violataque flammis
Templa tua, ac ferro, temerataque sacra scelestis
Hac illac manibus, pedibusque obtrita per urbes?
Nec tamen his tantis, quæ quisquam haud fletibus æquet,
Exsaturata malis odia, aut sedata residunt
Pectora: bacchatur magis usque, ut flatibus ignis,
Accensus lacrymis furor, infaustisque querelis,
Jamque Asiæ toti insultans graviora minatur.

Scilicet & Linum, quo non insignius ullum
Relligio in terris habet usquam pignus amoris
Ipsa tui, heu frustra ereptum tot casibus olim;
Sanguine divino spectandum, & imagine mira
Linum sors eadem manet, & pia Margaris illi
Tam sævi, ac tanti rumore exterrita belli
Nequicquam metuit. Sed Tu, Rex summe, timoris
Caussam omnem, quæso, tetrumque averte periclum:
Arma procul Charnes dilectis mœnibus arce,
Infandosque ignes prohibe, aut venerabile Donum,
Cætera si nolis, saltem eripe. Talia fatus
Protinus instaurat, quos suetus reddere, honores
Sublimi affusus solio; Natoque, Patrique,
Lætitia tentante animum, quam dicere versu
Fas nulli, dignas pergit persolvere grates.
Tum Pater omnipotens æterna in luce refulgens,
Sedibus unde decus cœlestibus omne, Chorisque
Gaudia tanta fluunt, placido sic ore profatur:
Parce metu, Joseph: non ferro, aut ignibus ullis,
Non manibus fœdis, quem tu mercatus, Amictus,
Quemque cruor decorat divino e corpore fusus,
Quo Mars cumque ruat violabitur. Imo age, quando
Hæc te cura coquit, bellique pericula, & omnes
Te casus tangunt, quæ stet sententia menti
Accipe. Non Charnen illo, vicinave regna,
Non Syriam, argolicamve urbem, vel thessala templa
Ornare est animus, certamque ibi figere sedem.
Est juxta Eridanum, & præceps qua Duria se se
Saltibus erumpens jungit, penitusque sonantes
Volvit aquas, recti memor urbs, legumque mearum,
Grataque jampridem, & certo mihi fœdere juncta.

Huic ego constitui cunctis optabile Munus
Paucis post annis uni transmittere habendum,
Huic proprium facere, & Regum decus addere partis
Insigni virtute animi, & pietate tropæis.
Illic aspicies ingentem e marmore molem
Surgere mirifico ritu, cultuque superbo,
Materiæque artem certare, auroque repostum
Pignus adorandum mira testudine subter
Servari medium, & cumulari altaria donis;
Illic persolvi, sollemni ex more, quotannis,
Quos tu jure cupis, & qui debentur, honores
Regibus abs ipsis, populisque ingentibus omni
Ex regione sacra ad sollemnia rite profectis.
Quin & diversis persæpe ex partibus orbis
Affluere externos cernes matresque, virosque,
Et genere insignes multos, quos inclyta fama
Acciet, atque procul coget pietate secunda,
Spesque opis in dubiis rebus, mirandaque facta:
Nec vim tempus edax, lustris labentibus, ullam
Inferet: æternam servabunt Lintea formam,
Infandæque necis monimentum, ac pignus amoris.
At prius e Charne montes illata sub altos
Cenisium juxta, & qua se juga Rhætica tollunt
Camberium excipiet: frustraque ibi Margaris hospes
Hospitiis obsistet conjunctæ sanguine votis;
Namque meis tandem, lacrymis quod dura decoris
Abnuit, auguriis dabit, & cœlestibus acta
Prodigiis cedens jam non sua Dona relinquet.
Nec mora: continuo testabor ab æthere Munus
Ipse meum factis, quæ sæcula cuncta per orbem
Mirentur: cunctis adero qui lumina figent

Relli-

Relligione ſacro in Lino, & me in vota vocabunt
Suppliciter mœſti, & ſua facta indigna dolentes:
Vimque adeo indomitam morborum ſæpe rogatus
Evincam frangens, lethique e limine multos,
Quum ſpes humanis nulla artibus, ipſe reducam,
Incolumeſque ſuis reddam: parere minaces
Æquoreos fluctus, imbreſque jubebo, notoſque
Imperiis hominum, qui ſancti ad limina templi
Thurea dona ferent, mediiſque, atriſque periclis
Eripiens lætos ad patria tecta remittam.
Sic ait, & magnum interea, quem bella pavorem
Incuſſere, auget per Charnes rura, fugæque
Margarin accendit ſtudio: cognata ſuadet
Ipſe animum ſubiens, tacitiſque hortatibus implens
Gallica regna petat fugiens, ſedeſque paratas:
Illic perfugium ſibi quærat, & ocia tuta;
Subſidiumque viæ, atque omnis ſolatia caſus,
Divinam Telam ſecum, gemmiſque nitentem
Inter opes alias monet arcam ferre, nec ulli
Credere, quum migrans ſibi conſulet ipſa, ſuiſque.
Illa Dei monitus agnoſcit, & omina tanta
Certa ſequi comites, fidiſſima pectora quærens,
Mente prius reputat numero quos deligat omni,
Quidve viæ auxilio, aurique, argentique parandum,
Conſiliumque ſuum tegit alto corde dolorem
Diſſimulans: at tandem aperit, cui ſumma poteſtas
Eſt permiſſa domus, veteri, fidoque miniſtro.
Inde diem indicit, patria quo excedere terra
Conſtituit monita alta ſequens, & tendere avitos,
Subducens ſe ſe belli terrore, Penates.
Sedulus ergo facit prudens data juſſa miniſter,

Et famulos parat, atque aurum, argentumque repostum,
Consilium, ut jussus, celans. Sed faucibus orci
Emissas pestes, recti quæ oblivia suadent
Omnibus errantes terris, atque omnia tecta
Lustrantes, vafras animas quis fallere possit?
Harum unam haud latuit, tecti quæ in limine primo
Auribus arrectis, quum Margaris ædibus altis
Hæc mandata daret, non ausa accedere, stabat.
Hæc cuncta excepit, tumidasque exarsit in iras
Multa movens animo: stygias dein mœsta sorores
Protinus admonuit; tum cœtus didita ad omnes
Fama ruit, Regisque statim quoque perculit aures.
Infremuere omnes, præsertim e sedibus imis
In Thracan nuper, bellique pericula missi
Argivûm exitio, & Charnes ne mœnibus altis
Sollemnes, ut fama, olim reddantur honores
Invisæ Telæ, & templum, atque altaria surgant
Charnidis imperio: multique una artibus usi
Quisque suis tentant prævertere corda, metumque
Injicere, atque moras moliri, & nectere caussas.
Ilicet hic formam mortalem, nubila cogens
Se circum, & densans, vafer induit, oreque græcum,
Atque sono linguæ mentitus, mœnibus ultro
Succedit Charnes melibœa in veste renidens.
Bini illum famuli inferna de gente sequuntur
Florentes ævo, commentaque, nutum ad herilem,
Omnia commentis firmare, ac voce parati,
Et versare dolos, incautaque fallere corda.
Undique scitandi studio ruit inscia turba
Multa super bello rogitans: quo tendat, & unde
Exitium, stragemque ferens Thrax inclytus armis?

Quo fortuna loco sit Græcis: namque pelasgum
Ore, habituque hominem credunt, mediisque profectum,
Martis ubi haud longe flagrant incendia, ab oris.
Ille prius, lacrymis, quæ jam notissima, obortis,
Exequitur multa, & crudelia facta tyranni
Excessisse modum dicit; sed vertere se se
Jam faciem rerum cœpisse, & tristia fata;
Jamque, metu posito, multos audere salutem
Sperare, & fessis melius confidere rebus;
Namque sibi auxilio Hesperiam, cognataque regna
Ventura, idque Patrem, toti qui jura dat orbi
Romulea arce sedens spondere, ipsumque sub arma
Cogere belligeras, jam longo ex tempore, gentes:
Hinc revocatum animum merito in præcordia pridem
Victa metu; hinc Thraces nutare, ausisque nefandis
Parcere contentos partis, bellique timere
Eventus varios, dubiæque pericula sortis.
Sic ille, atque eadem famuli per compita passim
Ingeminant ultro, vulgique in pectora spargunt.
Att alii, varia sub imagine, cuncta viarum,
Cuncta maris verbis augent discrimina, multas
Fingentes cædes, infandaque furta, studentque
Deterrere fuga Dominam, comitesque paratos,
Attonitasque implent falsis rumoribus ædes:
Imbribus hi miscent, & tempestatibus atris
Cœlum omne, immissisque ruunt a sedibus imis
Nunc his, nunc illis diverso a littore ventis,
Frontibus inter se adversis pugnantibus, æquor.
Illi animum in somnis invadunt, vanaque docti
Objiciunt rerum simulacra, & imagine tristi
Terrificant, suadentque viæ, curæque, metusque

Tam plenæ abjicere, aut meliora ad tempora saltem
Ducere consilium, & tuta intra tecta manere.
Ipsum adeo abducunt inferna ab sede timorem,
Monstrum horrendum, ingens, cœptisque ingentibus hostem,
Cui comes it frigus, fœdoque ignavia vultu,
Quandocumque orco superas erumpit ad oras;
Hancque jubent turpemque situ, obscœnamque volucrem
Charnidis ad tectum, & tabulata sub alta volare;
Hanc famulis & Heræ subter præcordia lentum
Indere torporem, & diffundere corpore toto.
Nec tamen his monstris, non ullis artibus illa
Demittitve animum victa, aut sua jussa retractat.
Mens immota manet, nec opis fiducia cedit
Divinæ: tantum expendit mage cauta suarum
Fortunam rerum, atque incerta pericula temnit.
Qualis ubi solus nota in regione viator
Saxa per, & salebras incedit, & aspera rupis,
Aut fluvium juxta, ripæque crepidine in arcta
Nunquam oculos ab humo, figens vestigia, tollit,
Pergit iter tamen, atque optata ad mœnia tendit.
Tandem illam invadit cunctarum pessima Erynnis,
Oppugnatque animum verbis, & callida tentat.
Forte manebat adhuc nutrici vita; nec usquam
Moribus egregiis mulier præstantior ulla,
Nec tum cara magis, licet annis obsita, alumnæ
Relligionis erat studio, & pietatis amore.
Nomine præterea dignata parentis herili
Assuerat mensæ, in partem persæpe vocata
Curarum, &, quos fert secum domus alta, laborum;
Huic forma se se stygium exitiabile monstrum
Assimilat: rugis notat ora, & tempora canis,

Atque hos fœminea tegit arte: inceſſu, habituque,
Voceque virtutem mentitur: lumina terræ
Dejicit incedens, &, cui ſcelera omnia cordi,
Cui fraus, atque doli, ficta pietate favorem
Conciliare parat ſibi, & alta ad limina tendit.
Tempus erat, ſomno quum excuſſo Margaris artus
Corripere e ſtrato conſuerat, luce retectis
Vix rebus, tenebriſque polo, ſtelliſque fugatis:
Quum thalamo accedens falſa ſub imagine peſtis
Sic illam adgreditur: ne, quæſo, nata, parentis
Deſpice vota, ſalus ſi te tua, noſtraque tangit.
Illa ego, quæ cautum modo rebar (ſtulta!) abeundi
Conſilium, atque fugam dictis, animoque probabam,
Prudens nunc damno; & monitis cœleſtibus acta
Te patria migrare veto, & nova quærere tecta.
Namque mihi, inſomni reputo dum nocte viarum
Ancipites caſus, dum cæca pericula verſo
Multa Deum poſcens, ſua ut omina numine firmet,
(Horreſco referens) vox hæc ſubito impulit aures:
Vade age, & inſtanti remorans fato eripe alumnam;
Ipſam namque manent terraque, marique pericla
Horrida, queis ſe ſe fati inſcia ſubjicit ultro,
Dum parat incertis tutam ſubducere vitam.
Has igitur, rogo, per lacrymas, per dulcia quondam
Nomina noſtra tibi, dubiis abſiſte moveri
Caſibus, inſtabilis quos famæ murmura jactant;
Haud dubitanda time, quæ nuntiat ætheris alti
Arbiter omnipotens, Divûmque, hominumque Creator.
Hic tibi certa domus; ſacri fidiſſima ſedes
Hic Pepli; nec fas alio ſine numine Divûm
Traduci; hæc ſe ſe a flammis, manibuſque ſceleſtis

Vera Dei effigies, hæc nos tutabitur omnes.
Dixerat, & lacrymis simul ora, sinumque rigabat
Ficto animo, ut mulier, imoque e pectore crebros
Singultus ducens fraudem celare studebat.
Jamque Dei monitus abolescere, mensque labare
Cœperat, & sensus flecti, & sententia retro
Cedere Margaridos, quum protinus æthere ab alto
Turbato affulsit nova lux in pectore, & omnem
Ipsi artem monstri, studiumque, dolumque retexit.
Namque oculos figens simulata in fronte latentis
Signa videt fraudis manifesta, atrique veneni,
Quo scatet infernum nullis placabile pectus.
Quare animo obstupuit, voxque ipsi faucibus hærens
Defuit, & gelidus tremor ossa, artusque subivit.
At menti tamen, ut rediere in pristina vires,
Excessitque metus, sententia persistit alte
Ante sedens, dubiumque omne irrevocata repressit.
Qualis, idumeis si forte in montibus ingens
Pondus iners palmam, stridenti turbine adactum
Pressit humi, caput illa statim valido incita nisu
Exerit, & victrix rursum ad supera ardua tendit.
Ait ubi divino sic Numine sensit apertas
Eumenis insidias, nec spem superesse nocendi,
Arsit inops animi cæco, indomitoque furore,
Nubeque discissa, tenues dilapsa sub auras,
Cocytumque petens, Charnes pia tecta levavit.
Margaris interea, pulso jam corde timore,
Arrectoque animo, ut primum exoptata refulsit
Dicta viæ, effugioque dies, comitesque parati,
Protinus ipsa cedro Monimentum insigne recondit
Multa prius figens ipsi oscula, multaque obortis

Vota facit lacrymis, & sanctum Numen adorat,
Rite suos monitus, & spem, & data jussa secundet,
Seque, suosque velit sacro cum Pignore avorum
Ad sedem, atque lares, cognataque tendere Regna;
Tum, si fas, liceat, tandem in contraria versis
Jam fatis, reduci meditatam ponere molem,
Votaque perficere, & sollemnes reddere honores.
Hæcque precata viam, magna spectante caterva,
Corripuit constans, & patria limina liquit.
Frustra æthram circum ventis, & murmure sævo
Miscuit, ac nimbos cocytia turba paratos
Ostendit, retinere studens, atque omnia tentans.
Nil commota suis animos pia Margaris addit:
Has stygias monet esse artes, quæ pectore firmo
Vincantur facile, atque brevi lætissima spondet
Cuncta fore, invito se namque haud Numine tecta
Patria deserere, at divina facessere jussa.
Nec spes vana fuit. Vix tendere littora versus
Cœperat, & Charnes excedere finibus ipsis,
Quum subito irato cesserunt nubila cœlo,
Et venti posuere haud dissita ad antra reversi,
Solque caput nitidum ferventi protulit axe:
Qualis, ubi humenti se tollit ab æquore densa
Nocte globus flammam, atque innoxia lumina fundens,
Ac volitat late nullo ordine, & impete, & illum
Aura levis pellit, si contra interritus adstes,
Invadasque, ultro velut umbra recedit, iterque,
Diffugiens, longe languenti lumine signat.
Nec minus e pelago timor omnis pulsus: in altum
Leniter aspirans vocat aura, eurusque secundus.
Nec mora fit: navi, rebus jam rite paratis,

Succedit Mulier, genus alto a ſanguine, & una
Delecti comites, onerantes æthera votis.
Vincula ſolvuntur portu: vada cærula ſpumant
Remo multiplici ſciſſa, & ruit uncta carina.
Quid memorem varios pelagique, viæque labores,
Ventorumque minas, tempeſtatumque furentum?
Cuncta tulit firmo tot vecta per æquora ſemper
Pectore ſpem totam divino in Pignore ponens,
Auxilioque Dei: nec enim mente excidit uſquam
Ipſius auſpiciis cœptum, monitiſque benignis
Longum iter, & ſedes ſponderi, tectaque amica
Imperio in magno, melioraque fata manere.
Illius hæc animum, ad diſcrimina quæque parando,
Firmabant promiſſa ſatis, curiſque levabant,
Quæ ſe cumque daret terra fortuna, marive;
Nec celerem curſum tenuerunt littora amœna,
Egregiæve armis arces, aut inclyta tempe.
Talis ei monitis parendi mente ſedebat
Uſque flagrans ardor, cognataque Regna petendi.
Jamque maris tandem quidquid late alluit oras
Phœnicum extremas emenſa, & Cypria quidquid
Littora, jam Cretam præter, portuſque Sicanos,
Ionioſque ſinus vecta, & defuncta periclis
Omnibus interni pelagi, votiſque ſolutis
Auſoniæ fines læta, atque Liguſtica rura
Tranſibat juga ſumma petens, queis Itala tellus
Adjacet imperiis gravida, & glebæ ubere felix,
Quæque ab ea nivibus circum candentia crebris
Gallica ſecernunt contermina, claraque Regna.
Multæ illam nymphæ tacitæ mirantur euntem;
Hoſpitio multæ excipiunt, ſtudiumque abeundi

Fallere

Fallere contendunt: polus ipſe, auræque ſecundæ
Aſpirant, longumque levant, durumque laborem.
Inferna ſed enim rurſum implacabile monſtrum
Adſtitit e turba infeſta, & nova bella paravit
Fraude nova miſeram adgrediens, extremaque tentans:
Quodque mari haud potuit ventis, auſiſque nefandis,
Sæva cohors omnis ſibi tandem in ſaltibus altis
Uni ſperavit, perque horrida ſaxa licere.
Eſt colles infra, vinetaque amœna, feraci
Urbs in planitie, celſis circumdata muris,
Allobrogumque olim Heroum clariſſima ſedes,
Camberium, egregiæ genitrix nunc inclyta prolis,
Nec ſtudioſa minus laudis, tectiſque ſuperbis,
Præmia virtutum, oſtentans decora alta parentum.
Huc ea tendebat cognatis ſedibus hoſpes
Succeſſura (idem generis namque ultimus auctor
Annæ erat [1], uxorem Solymis quam lætus ab oris
Duxerat Allobroges Lodoix, atque oppida avita
Sub ditione tenens); & mirus jungere tandem
Hoſpitio dextras corde inſitus ardor agebat.
Jamque propinquabat, ſuperatis montibus, & jam
Nuntius optato de adventu certa referre
Juſſus, bina prius quam lux ſe tolleret undis,
Venturam, obſiſtant ni fata ſiniſtra, ferebat;
Quum ſtygius Genius, ſcelerumque hortator acerbus

1 Elle étoit fille de Janus Roi de Chypre, de Jéruſalem & d'Armenie, qui, pendant ſa priſon, n'avoit point eu de plus aſſuré refuge, qu'auprès du Duc Amé pere de Louis. C'eſt pourquoi il avoit déſiré ſon alliance.... Le mariage fut arrêté & conclu en la Ville de Nicoſie le premier Janvier 143.. *Thomas Blancus in Epitome Hiſtoriæ reg. Domus Sab. lib. 4.*

Sævam animo curam immittit, tranquillaque turbans
Pectora sollicito coquit ossa, acrique dolore.
Nox erat, & tectis Dominam, famulosque sub ipsis
Securos, fessosque viæ sopor altus habebat
Hospitio in magno, atque toris mercede paratis.
Gaza prope, & sacro cum Pignore cuncta supellex,
Vecta viæ auxilio patriis quæ plurima ab oris,
Tota inerat simul in penetrali sede reposta.
Protinus ille duos prædæ succendit amore
Ardentes juvenes, stimulisque ingentibus urget.
Ipse adeo ante fores, & per divortia nota
Sistit agens, reseratque aditum simul ipse, docetque
Qui sit fallendi per amica silentia noctis,
Si qui sint vigiles, dexter modus: ilicet isti
Suspensis alacres digitis, animamque tenentes
Committunt se se, & taciti ad penetralia tendunt.
Omnia tuta vident: arcto demissa sopori.
Membra, nec excutitur quisquam: jacet omnis in unum
Congesta, & nemo servat, ditissima præda;
Effugiumque patet, si quid discriminis instet.
Partem igitur læti subducunt; tectaque onusti
Ad sua se referunt; & nox furta impia condit.
Heu sortem invisam, miserandaque fata! nec ipsa
Eximitur Sindon rapto, ac temeranda scelestis
Mox manibus vestes inter, congestaque dona,
Inter opes alias, omni præstantior auro,
Eripitur Dominæ, & cœca in gurgustia fertur.
Furto lætatur ferus auctor, ut omnia votis
Respondisse videt, veteri sic denique credens
Exoluisse animum cura, & spes nutrit inanes.
Sic ubi defossum celso sub culmine montis

Ipsius instinctu manus obruit impia sacrum
Sanguine divino sparsum venerabile Lignum,
Signavitque locum (heu facinus!) Venus ipsa superne
Marmorea insidens, & Adonidis ora nefanda,
Lætitiaque animum diffudit, ovansque tropæi
Speravit parti a Christo, haud procul inde peremto
Latrones inter, deleri denique famam.
At prædam audaces juvenes, fidique ministri,
Ne qua domi clausam vestigia, signave prodant,
In loca sola ferunt celeres, & saltibus abdunt,
Qua via nulla hominum pedibus signata, ferarum
Qua lustra, & trabibus magis horret lucus acernis.
Interea Phœbus fugat astra, diemque reducit;
Resque omnes retegens furtum quoque luce nefandum
Heu famulis aperit nil tale timentibus, & jam
Tendere iter jussis, Dominamque præire jubentem.
Quæ simul ablatum cum gaza audivit & ipsum
Carbaseum Donum, curarum dulce levamen,
Spemque suam ad casus dubios, rebusque secundis
Præsidium, atque decus speratum tempus in omne,
Heu quanto infelix stetit illico fixa dolore!
Quotque dein mœstis implevit questibus auras!
Non adeo natum mater suspirat ademtum,
Egregium forma juvenem, & florentibus annis;
Non adeo raptos philomela e vertice dumi
Implumes fœtus, aut gemmam culta puella
Jam matura viro. Quin & sibi pectora tundit
Scissa comam, & resonant crebris plangoribus ædes.
Nec pictas vestes, aurumque moratur: in uno
Omnis stat Lino mœrentis cura; gemitque
Hoc uno; atque habeant sane sibi cætera cuncta,

Linum reſtituant iterumque, iterumque precatur,
Qui ſint cumque auſi tam indigna piacula; & ultro
Spondet eis veniam, ne quem pudor ipſe, metuſve
Detineat removens, & ſpem ſibi ne auferat omnem.
Tandem, ubi multa diu nil proficientia fudit
Verba notis ſparſa, & crudelia fata vocavit
Nequicquam auxilium implorans, & præmia ſpondens,
Victa animi abſceſſit, male fidaque tecta reliquit,
Fruſtra ſollicito ſecludere corde ſequacem
Connitens curam, & ſævum lenire dolorem.
Ac veluti agricola, horrenti quum grandine ſtratas
Vidit humi ſegetes, vinetaque quaſſa recenti,
Et longum ingemuit, ſpeſque omnes flevit ademtas,
Cum natis, famuliſque domum triſti ore dolorem
Oſtendens repetit, tacituſque haud lumina terra
Attollens graditur: ſic Illa ad mœnia tendit
Camberii; & dum occiduis jam Phœbus in undis
Tingebat ſe ſe, & veſper claudebat olympum,
Exſpectata diu cognatis ſedibus hoſpes
Succeſſit tandem, & tectis aſſuevit amicis.

EXPLICIT LIBER PRIOR.

DE SINDONE TAURINENSI

LIBER POSTERIOR.

ARGUMENTUM.

Margarita hoſpitio excipitur Camberii a Ludovico Sab. Duce, & honorificentiſſime habetur. Rogata ab Anna Ducis uxore cauſſam aperit doloris vehementiſſimi, ex furto capti; ac deinde de Sindone multa narrat. Ludovici juſſu inquiritur in fures; eiſque venia edicto proponitur, ſi ultro S. Sindonem reſtituant. Hac ſpe allecti fures, & fruſtra a malo Genio deterriti eam denique reſtituunt, & ſimul cum venia ſalutem divinitus recipiunt. Sacrum Linum Anna petit, & non impetrat. Hinc cæleſtis nuncius a Deo demiſſus multa prædicens in ſomnis eam ſolatur. Tandem prodigii novitate permota Margarita ſe ſinit exorari; ſanctiſſimoque Lino donato, Camberio diſcedit. Multæ illuſtres publicæ lætitiæ ſignificationes in urbe dantur ob hujuſmodi Donum. Quare ira accenſus ſtygius Rex novum parat bellum, & rurſus immittit Cacodæmonum turbam in terras. Concilium habetur ab horum Duce ad Avernum lacum. Concurritur certatim ex omni Sabaudiæ parte ſpectandæ Sindonis cauſſa; ejuſque ſanctitatem fruſtra Cacodæmones elevare verbis contendunt, convenaſque deterrere, & abducere. Tandem, publice propoſito ad venerationem divino Pignore, fugam ipſi, Angelis terga prementibus, arripiunt.

UT primum auguſtis accedere mœnibus urbis
Cœperat infelix, furto concuſſa nefando,
Margaris, extemplo tectis effuſa juventus
Innumera, & pueri circum, innuptæque puellæ
Gaudia ſublatis teſtati vocibus ibant;
Lætitiaque viæ fremuere. At ſedibus altis
Matres atque viri certatim in veſte nitenti,

Annaque præsertim, & dignatus conjuge tanta [1]
Tam merito Lodoix, læto fausta omnia vultu
Fatorum ignari gratantur. Plurima tectis
Vis auri passim, vis ostri plurima splendet,
Regificoque epulæ luxu, mensæque parantur.
Pendent incensi, auroque, argentoque decori
Multiplices lychni, & noctem splendore per alta
Atria, perque domus penetralia cuncta repellunt;
Aureaque ardentes sustentant brachia ceras.
Arte laboratum totum depromitur aurum,
Luminaque ad se se convertit, & undique pascit;
Namque in eo cernas Patrum facta inclyta multa
Cælata, & seriem rerum, pugnataque bella,
Oppidaque, atque arces captas, partosque triumphos.
Hic venit externis galea spectandus ab oris
Nobilitate potens Heros, qui sanguinis auctor
Ultimus Allobrogum Regno fundamina ponit,
Majoresque suos æquat virtute: sequuntur
Hinc inde insignes trabea, sceptroque Nepotes.
Quos inter præstans pietate, armisque Amedeus,
Quem merito *Magnum* [2] quondam cognomine patres
Egregiis factis dixere, ac fortibus ausis,
Lauro victrici redimitus tempora palmas

1 Olivier de la Marche dit, *que c'étoit la plus belle Princesse qui fut au monde.*

2 Ses actions illustres lui acquirent le surnom de *Grand.* Les Chroniques MS. de Savoie le nomment *Prince très-sage, de bonne mœur, & très-prudent.* Il fut vaillant sur tous les Princes de son tems; fit 32 siéges; fut généreux en ses entreprises ... Il fut arbitre des différens des Rois de France & d'Angleterre. *Thom. Blanc. lib. 3.*

Multiplices præfert, folioque innectit avito.
Olli majeſtas ſedet ore, ac vivida virtus;
Livor ſub pedibus fremit auro effictus, & hæret
Gloria læta comes lateri. Rhodos undique cincta
Claſſibus æratis ſævo in diſcrimine ad ipſum
Tendebat dextram, ac melius confidere rebus
Inde videbatur; mox, jam formidine pulſa,
Vindicis admirans virtutem, & fortia facta
Laudibus extollens meritos reddebat honores.
Cernere erat Thraces, magno turbante tumultu,
Arva metu trepidos neptunia findere remis
Innumeris, fruſtraque truces ad mœnia clara
Sæpe retorquentes oculos; ac dira frementes.
Æquora ſpumabant late: matreſque, virique
Littore ab adverſo ſecuri, ac turribus altis
Spectabant; thuriſque vapor ſurgebat ab aris:
Tum ſua quiſque Deo ſolvebant vota frequentes.
Præterea Henricum [1], rerum cui ſumma poteſtas
Imperio in magno, extuderat manus inclyta docti
Artificis juxta aſtantem; natumque jubebat
Ipſe ſuum, eximium vultu teſtatus amorem,
Illius ex monitis omni in diſcrimine rerum
Pendere, atque aciem mentis, præclaraque facta
Laudabat digito oſtendens. Sic arte magiſtra
Illum admiranti ſimilem, ſimilemque loquenti
Fecerat, ipſa auro ne verba deeſſe putares.
Nec minus ore ſuum clare prodebat amorem

1 Il mérita l'eſtime de l'Empereur Henri VII, lequel commanda à ſon fils Charles de Luxembourg, Prince de Bohème, qu'il envoioit en Italie, de ne ſuivre de conſeil, que celui d'Amé V. *Morerius in Amed. V.*

Rex Araris [1], cui frontis honos, ſpectataque virtus
Addiderat duplex (patre cretus Rege Philippo
Nomine eum retulit, numerumque explevit avorum)
Cognomen *Pulcro*, *Magnoque*. Hic lumina ad illum
Converſus ſtabat, qualis, dum vita manebat,
Conſiliis ſolitus, monitiſque ſagacibus uti.
Nec procul hinc alius famaque, animoque Amedeus
Par, interque Duces hos dictos nomine ſextus, [2]
Jura dabat victis populis, atque alpibus ultor
Deſcendens meritas inimico a ſanguine pœnas
Poſcebat. Circum diverſo ex hoſte tropæa
Rapta manu currus, clypei, ſpolia, arma nitebant:
Altus apex capiti, caſſis cava tempora circum,
Inque humeris thorax, lateri enſis, gæſaque dextra.
Hinc aurum collo [3] ſubnectens pectus ad imum
Textile, & obtortum, decoriſque inſigne futurum
Demittebat agens, proceresque legebat ab omni
Ter quinos numero, quos inſignibat eodem
Ipſe manu Texto, dans ferre, atque oſcula præbens.
Parte alia Allobrogum mediis in millibus acer
Regnatorem Hæmi contra, immaneſque catervas
Stabat; & invadens patriis pellebat ab agris

Rebus

1 *Morerius ibidem.*

2 Le regne de ce Prince fut de quarante ans, autant heureux qu' il fut long. Jamais Prince n'a eu tant de gloire, & tant d'honneur .... enfin ce n'eſt pas merveille ſi un Auteur moderne l'a appellé *Perſonnage de ſingulière vertu & prudence*. *Th. Blanc. lib. 3.*

3 Cette même année (1362) eſt memorable par l'inſtitution de l'Ordre de Cavalerie faite par le Comte Verd (ce fut le ſurnom d'Amé) ſous le nom de l'Annonciade. *ibid.*

Rebus Johannis ſuccurrens; ſævaque ab ipſo
Vincla reſolvebat tutum, & formidine mortis,
Servitioque gravi exemtum in ſua regna remittens.
Tum læta eventu nova Roma, ubi ſede ab avita
Sanguine conjunctus Johannes inclyti habenas
Imperii, populis dans mitia jura, regebat,
Allobrogum nomen ad ſidera ferre videri,
Invictoque Duci inſolitos exquirere honores;
At fremere, atque ira procul inſanire Tyrannus,
Præcipitique fuga petere altos agmina montes.
Hos inter dejecta oculos, demiſſaque vultum
Proles Olrici celeberrima, nuptaque Othoni
Stabat Alix [1] factis ingens, ſublataque ad aſtra
Laude virûm. Circum diverſa in veſte nitebant
Moribus egregiis, regeret dum ſpiritus artus,
Clari homines, quos Ipſa hilares dimiſerat omnes
Prædia diſtribuens ampla, ac ingentibus aras [2]

1 Adélaïde de Suze riche héritière, veuve d'Herman Duc de Suaube, & fille de Monfroi, ſurnommé Olrich, ou Ulrich Marquis de Suze, & de Berthe d'Ivrée fille d'Albert Marquis d'Ivrée, & Couſine d'Ardoin Roi d'Italie. Elle porta en dot à Oddon le Marquiſat de Suze, le Duché de Turin, la Val d'Aoſte, & pluſieurs Terres & Châteaux ſur la côte de Gènes. *Blanc. lib.* 1.

2 Il y a peu de Princeſſes, dont le zèle pour la réligion ait paru avec tant d'éclat, que de celle ci; car l'an 1064 elle fonda l'Abbaye de notre Dame de Pignerol ..... Ce fut elle qui fonda l'an 1074 l'Egliſe de Mombrà, qui a été depuis convertie en Chartreuſe; elle donna encore l'an 1075 des héritages à l'Abbaye de notre Dame de Pignerol ... Elle donna auſſi au Monaſtère de Pignerol l'an 1083 des biens ſitués à Saluces, & par un autre titre de l'an 1083 elle & Agnès de Poitiers ſa belle-fille firent quelques libéralités aux Chanoines

Accumulans donis, atque ædes, templaque condens;
Hincque viro, ac natis & avita, & patria jura
Maxima tradebat, regnique extendere fines
Læta dabat, rapidus qua Duria culmine ab alto
Volvitur intendens oculos (namque hoc quoque dextra
Finxerat artificis) flumenque, atque alpibus urbem
Subjectam ostentans, & quæ juga Rhætica contra
Attollitque caput, tumuloque assurgit ab alto
Augusti, ut perhibent, quondam de nomina dicta.
Agmina quin etiam, fulgenti in casside, cogens [1]
Parte alia Astenses bello subigebat, & armis
Girlinum augusto vindex acerrima templo
Restituens, nitidumque auro in sua jura remittens;
Vastabatque urbem interea, monumentaque cladis
Inclyta ponebat meritum servantia nomen.
Stabat præterea romanæ maximus aulæ [2]
Arbiter hinc, atque inde sacro Damianus in ostro

de S. Laurent d'Oulx. Elle laissa encore des témoignages de sa piété à l'Abbaye de S. Soluteur de Turin, à laquelle elle donna l'an 1088 la moitié du Château de Calpix ... Enfin cette grande Princesse après avoir réparé l'Abbaye du Villars en Piémont, mourut fort âgée à Canosse en Canaveys l'an 1091. *Thom. Blancus ib.*

1 Girlen, Evêque d'Ast, ayant été chassé une seconde fois de son Evêché par les habitans, cette Princesse mit une armée sur pied, prit la Ville d'Ast, & rétablit l'Evêque en son siége, qui pour mieux l'engager à sa protection, lui avoit accordé le péage de la Ville, à quoi les Astesans n'ayant pas voulu consentir, s'attirerent la colère de cette Princesse & la ruine de leur Ville. *Blancus ib.*

2 Le Pape Grégoire VII eut tant d'estime pour Adélaïde, & si bonne opinion de son affection envers l'Eglise, qu'il lui donna ce glorieux éloge de *fille de S. Pierre*. *ibidem.*

Spectandus, celeberque gravi doctrina: & uterque
Virtutem admirans pendebat fœminæ ab ore,
Quam Deboræ similem gravitate, animoque vocarat
Alter, Petri alter natam, præstantibus orsis,
Mansurum addiderat feros cognomen in annos.
Nec non in magno fulgebant sculpta lebete
Facta Godifredi, genus unde & Charnidi, & Annæ;
Luminaque haud ullis opus enarrabile verbis
Ad se se alliciens mira dulcedine mentem
Implebat pascens. Illic Dux inclytus armis
Bello acres turmas Solymas acuebat in arces
Victor agens; frustraque furens e mœnibus altis
Pellere tendebat variis gens effera telis.
Ollis ardentes oculi, frons hispida villis,
Barbaque promissa: in multas cava tempora circum
Collectum spiras ibat a vertice Linum:
Fascia versicolor lateri; arma immania dextris.
At Galli ferro capita alta, sinusque ferentes
Præcinctos multi; pars multa & cassidis expers
Nil jacula, atque minas, nil certa pericla timebant.
Omnibus idem ardor perrumpere mœnia, & urbe
Pellere crudeles hostes, sceptroque potiri
Ore videbatur cerni, spesque addita verbis.
Aurea cæsariem nectebat vitta: nitebant
In manibus gladii; in mediis Crux addita signis.
Hinc, jam subversis tandem crebro ariete muris,
Ductor ovans, Procerum magna stipante caterva,
Votaque solvebat superis, & dona ferebat:
Tum loca sacra obiens, ubi spinis tempora cincta
Purpurea induto clamide, irrisoque scelesta
A turba Regi, cui sol ac sidera parent,

Demissusque animi, vanæ & nil laudis avarus
Rejectam manibus sibi, Regum insigne, coronam [1]
Imponi, ut meritus, populo admirante vetabat.
Omnia lætitiæ miratur splendida signa
Margaris; at placida miseram haud consistere mente
Fert dolor, atque acris, qua pectus saucia, cura:
Eminet ille ore interdum, & suspiria cogit
Mittere; tum se se, patefacta denique caussa,
Prodit, & ingentes merito ciet undique questus.
Namque, ubi dejecto, venis quod vulnus alebat,
Anna sibi e vultu, novisse, & vocibus ipsis
Visa fuit, caussamque adeo quæsivit amicis
Adgrediens verbis, lacrymis subito Hospes obortis,
Ordine casum omnem, & quæ furto rapta, locumque
Infamem, fata accusans crudelia pandit.
Ac veluti sævo quondam a latrone viator
Fustibus ac pugnis læsus, dum robore dextræ
Exsuperare minas, ictusque repellere tendit
Lethiferum queritur tantum, quod denique vulnus,
Vi facta, accepit, sensu nec percipit ullo
Cætera; sic reliquam prædam obliviscitur omnem,
Non vestes curat, non aurum: munere solum
Cœlesti dolet, & furto suspirat ademtum.
Tum pretium memorat Lini, verbisque recenset

1 Celebratur tam insignis ejus animi demissio a multis; inter quos Franciscus Rainerius apud Paullum Foccium in elog. Virorum illustr. his etiam verbis ejusdem dictum memorabile prodidit;

Corona d'or portar qui non debb' io,
Ove di spine la portò il mio Dio.

Vid. Dan. Mallon.

Singula, queis præſtat, decora inclyta: ut omnia ſævæ
Signa necis referat fuſo depicta cruore
Non hominum dextra, æterno ſed amore miniſtro?
Ut laceros artus miro ordine, & ora, habitumque
Exprimat effigies duplex; ut vertice ad imos
Exhibeat talos ferroque, flagriſque cruentis
Fœdatum corpus, patulumque in pectore vulnus.
Nec lacrymis modus ullus erat, quum protinus ira
Percitus ardenti Lodoix, juſtiſque querelis
Acriter in ſontes commotus mittere certos
Spondet, qui inquirant, victoſque ad debita poſcant
Supplicia, & ſperare jubet ſolatia duri
Luctus, & mœſto ſecludere pectore curas:
Vixque illum placat tandem, evincitque rogando
Margaris, ut miſeris liceat ſperare ſalutem,
Ultro ſi faſſi veniant, Linumque reportent;
Cætera namque libens, ſi forte abſumta, remittit.
Nec minus Anna parat dictis lenire dolorem
Hoſpitis ingentem, & melius confidere rebus
Hortatur lacrymas tergens, aurumque benigna,
Et veſtes ſpondet, verbis nec parcit amicis.
Interea jam tempus erat recreare jacentem
Victu animum, & nox ipſa polo progreſſa monebat:
Jamque ſalutantum tota e penetralibus altis
Unda virûm, ac matrum defluxerat. Ilicet ergo
Cura penum ſtruere, & lautos ornare paratus
Valdius exercet famulas, vigileſque miniſtros.
Tum poſitæ menſæ; atque hi cerealia dona
Expediunt, illæ intextis mantilia ſignis:
Pars dapibus lances onerat; pars lancibus ipſis
Arte locum ſtatuit, numerumque, genuſque recenſet,

Omnia colluſtrans oculis; pars pocula ponunt,
Cateraſque auro inſignes; perque atria longa
Nunc huc turba frequens volitat, nunc protinus illuc:
Splendet in appoſitis abacis opulenta ſupellex.
Tandem oſtro nitidis, atque auro ſedibus omnes
Diſcumbunt, celebratque ingens convivia cœtus.
Inde, ubi facta quies epulis, menſæque remotæ,
Multa ſuper Græcis dicta, & quæ, quantaque capta
Mœnia; qui terror tot late invaſerit oras,
Sævus ubi Mavors incendia miſcuit alte
Concutiens tædam, perque oppida cuncta furoris,
Perque domos, atque arva ſui veſtigia linquens;
Quæ ſpes ſit reliquis, & cur ſtet cuique, cadatve?
Dein memorat duros pelagique, viæque labores
Margaris, & quantum rebus ſolamen in arctis
Præſtiterit ſemper divini Pignus amoris,
Quod flet ſublatum, & quo nil ſibi carius unquam:
Atque iterum in laudes, cœli mirabile Donum
Dum reputat memorans, ſe fundit plurima, vixque
Temperat a lacrymis; quas cernens Anna paratas,
Et retinere ſtudens, quin prima ab origine totam,
Si libet, exequere hic ſeriem, caſuſque, viceſque:
Cui conceſſa prius Sindon? Quo tempore parta?
Ut ſervata, & ubi? Quiſve emtor? Quiſve repertor?
Cui pia cognato Mulier de ſanguine creta
Cuncta equidem, dixit, quamvis obſcurior annis
Sit fama, expediam; nec quæ mihi nota ſilebo,
Nota licet cunctis, modo rite audita recorder.
Jamque aliqua hinc luctus, ſi fas, ſolatia quæram,
Aut illum ſaltem memorans gratiſſima fallam.
His animi arrecti, tectiſque ſilentia facta.

Ora tenent omnes intenti; ea talibus infit:
Viderat innumeram crudeli e vertice montis,
Chriſtus ubi (heu pietas!) Chriſtus trabe fixus in alta
Suppliciumque luit moriens, mediuſque pependit
Latrones inter, magna illudente caterva,
Jam reducem turbam ſcelerata ex urbe profectam,
Ductoreſque ipſos Arimathide clarus in ora
Vir, famaque ingens, belloque, & fortibus auſis,
Argentique & agri prædives, nomine Joſeph.
Jamque fere totum nigra ferrugine tinctus
Sol orbem oceano adproperans trajecerat, & jam
Primorum juſſu duris pendentia truncis
Corpora acervatim tumulum de more in eumdem
Projicere infleta, & paucam ſuperaddere arenam
Haud procul egeſtam telis inſtructa parabat
Turba frequens. Quare ſic ſecum Arimathius heros:
(Namque prius Chriſto, mores, dum vita manebat,
Virtuteſque animi miratus, & inclyta facta,
Ultro ſe comitem addiderat meliora ſecutus)
Ergo tam cari mihi jure, ſuiſque Magiſtri
Divinum Corpus, divinaque membra cruentis
Turba procax manibus trabibuſque refiget, humoque
Infodiet vili, ſcelerata cadavera miſcens?
Ergo non ſat erit letho multaſſe nefando
Immeritum, & pœnas dire traxiſſe per omnes?
Non certatum odiis ſatis eſt, dum vixit, iniquis?
Funere adhuc merſum tam ſævo indigna manebunt,
Proh dolor! opprobria, & merito ſine honore jacebit?
Nec plura his: ſtudioque animum, quem conſcia virtus
Suſcitat, accenſus tam pulcro, & concuſſus acerbo
Jam magis atque magis caſu fert limina ad alta,

Summus ubi populis Syriæ moderator, ab urbe
Romana miſſus, dat jura, & temperat oras
Judæas, greſſum; intrepiduſque, ubi copia fandi
Eſt data, ſic illum adgreditur, ſupplexque precatur:
O titulis, factiſque ingens, & ſanguine priſco,
Quem fama eſt unum tot contra pectore firmo,
Conſilio in magno, pugnaſſe, ut cæde nefanda
Innocuum eriperes, quem nos nunc lumine caſſum
Lugemus fruſtra, inſigni pietate Magiſtrum;
Quod tibi, dum licuit, ſteterit ſententia menti,
Servare incolumem, cæcoque obſtare furori,
Spero equidem tibi digna ipſum, labentibus annis,
Præmia laturum; (meritas nam reddere grates
Non opis eſt noſtræ) nunc, quod potes amplius unum,
Quando nece infanda ſitis eſt jam ſanguinis ardens
Extincta, exanimum, quæſo, decorare ſupremis
Muneribus Corpus, da, Ponti, & condere terra.
Eſt mihi ſepta inter, quibus hortus cingitur, ipſam
Ante domum tumulus, candenti e marmore nuper
Exciſus, nec adhuc cuiquam, mihi quique paratus,
Defuncto patuit. Liceat, quem non potis ullus
Pro merito decorare, mihi quæ copia, ſaxo
Contumulare novo, pignuſque hoc reddere amoris.
Cui ſic Romulides: utinam concedere vivum,
Ut cuperem, poſſem, aut manibus licuiſſet iniquis
Crudelis populi, & ſævo, indomitoque furore
Eripere, ut meruit! Certe hæc ſententia menti
Conſtitit uſque mihi (veri vos conſcia teſtor
Numina) nec verſa eſt unquam, ſed denique ceſſit
Vi victa inſana, atque truci, nec habente regreſſum
Ira communi. At quid ſeditione potentem

Adver-

Adverſus populum unus proficerem ? impia corda
Nequicquam ſuperare ſtudens me crimine ab omni
Exolvi coram , & verbis odia aſpera carpſi.
Ite ergo ; & tumulo dignum componite Corpus.
Hæc ait inſontis caſum indignatus Jeſu ,
Ut par , ſero licet. Magni ſed compos Joſeph
Jam voti , mora nulla , pium mercatur in uſum
Balſamaque , ſtactemque Viro dona ultima, & amplum,
Artibus exanimis velamen , lineum Amictum.
Jamque iter ingrediens montem tendebat ad altum ;
Quum forte occurrens ſtudio ſuccenſus eodem
Se comitem adjunxit Nicodemus , quo ægrius alter
Chriſti obitum haud tulerat , quique ex Primoribus unus
Conſilio in magno , fœdamque avertere labem
Nomine ab hebræo , & crimen prohibere nefandum
Contendens fruſtra pœnas vix ipſe paratas [1]
Sontibus effugit , tumidaſque incenderat iras.
Sic ubi præcipiti decurrit flumine torrens ,
Jamque ſatis ſtragem , ſtabuliſque , agriſque minatur ,
Si pavidi agricolæ curſum frænare ſonantem
Aggeris objectu tendant , magis æſtuat amnis ,
Oppoſitaſque ferox rapido ruit agmine moles.
Ambo igitur (turpi dum alii formidine capti ,
Ceu grex , paſtor ubi fato ſublatus acerbo eſt ,
Saxa per & rupes , pars tecta petuntque , latentque ,
Pars lucos ſocii) & paribus veſtigia curis
Figunt intrepidi , & celeri juga barbara montis
Aſcenſu ſuperant , permiſſaque funera adornant.

1 Teſtatur Vorągineus , ſive Jacobus a Voragine, non ſolum dejectum e Principatu a Judæis , ſed bonis etiam ſpoliatum , & verberibus atrociſſimis affectum eum fuiſſe. *Vid. Mallon.*

Ventum erat ad durum, nunc Pignus amabile, truncum. [1]
Ilicet admotæ ſcalæ: ſonat ictibus altus
Hinc, atque hinc crebris ſtipes: jam lintea pendent
Suſtentura humeros alte, Corpuſque refixum,
Heu quot vulneribus lacerum, quantoque cruore
A capite ad talos fœdatum, Sindone tandem
Protinus inducta excipitur, premiturque tegendo,
Et niveis vittis, myrrhaque, aloeque liquenti
Undique perfuſum, priſco de more, ligatur.
Singula quid referam? Gemitu mons conſonat omnis, [2]
Fœmineo præſertim (aderat nam Mater, & atrum,
Heu miſeram! funus, pectus trajecta doloris
Cuſpide ſpectarat, Natique noviſſima verba
Audierat firmo cohibens ſub pectore queſtus,
Treſque ipſam comites fidæque, piæque ſecutæ)
Huncque inter gemitum, hac triſti comitante caterva,
Sat numquam fletum effertur, tumuloque parato
Succedit tandem, & tegitur ſaxi objice Corpus.
Jamque dies memoranda aderat, qua luminis auras
Ipſius admonitu ſocii, vatumque priorum
Oraclis docti ſperabant, morte, ereboque
Edomito, hauſurum rurſus. Buſto ilicet ergo
Adſtitit accurrens, ſtimuliſque ardentibus acta
Magdalides virgo; dein quos lætiſſima fama
Accierat, Cleoſas, & quo non carior alter
Omnibus e ſociis, manſit dum vita, Magiſtro,
Dictus &, extrema cunctis quum nocte paraſſet

1 V. *Alberti Panormitani Comment.* de vita, doctrina, & miraculis J. C. *Part. 3 c. 30, & Barradi tom. 4 lib. 7 c. 23.*

2 Reſonabat locus ille clamoribus, aſpergebatur lacrymis, ac gemitibus replebatur. *Laurent. Juſtinian.*

Divinas epulas, ritus, moremque Sacrorum
Inſtituens, caput ipſe ſuum complexibus hærens
Compoſuiſſe ſinu, & pectus venerabile ſupra:
Dumque ſtupent cuncta, & monitis cœleſtibus omnes
Jam fidunt certi, ac revocatum ad munera vitæ,
Quem luxere diu crudeli funere merſum,
Cernere quiſque ardet, notaſque haurire loquelas,
Ecce tibi ante oculos Sindon, quæ marmore in imo
Preſſa jacet vittas juxta, collectaque in orbem.
Deſcendunt, avidique legunt, tolluntque ſub auras;
Inde oras taciti evolvunt, divinaque pandunt
Prodigia, infandæque necis monumenta tuentur.
Obſtupuere animis primum, defixaque in uno
Ora diu obtutu cuncti tenuere ſilentes:
Mox lacrymis Petrus ſic denique cœpit obortis
Attonito ſimilis: qui nam tam mira repente
Exſtitit effigies? Quæve imo hanc dextera pinxit
In tumulo? Pater ecce Pater, quem flemus ademtum.
At non ſic oculos quondam, ſic ora ferebat.
Heu nulla hic ſpecies, qua non præſtantior alter,
Cernitur; at vulnus ſunt omnia, & omnia ſanguis.
Singula dein oculis luſtrant impreſſa cruore
Signa necis: dumis circumdata tempora acutis,
Impactiſque alte cernunt, palmaſque, pedeſque
Ferro trajectos: diris diſciſſa flagellis
Terga, & utrumque latus, ſævumque in pectore vulnus.
Undique ſpectandi ſtudio matreſque, virique
Concurrunt multi, nec poſſunt corda tuendo
Expleri, lacrymis nec eorum temperat ingens
Turba piis, Pignuſque ſtupent venerabile cuncti.
Hinc Arimatheo, ſi vera eſt fama, roganti

Dat precibus victus [1] Petrus, & sua munera reddit.
Tum servata [2] domi a natis, longumque per ævum
Post alios alii insignes pietate nepotes
Ædibus in patriis coluere; nec arma, furorque
Bella inter varia, & medio in discrimine rerum
Fœdavere: labor nec redditus irritus unquam,
Non monitu Divûm cura excita, amorque tuendi.
Fama est in Syriam [3], Solymas quum Titus ad oras
Tenderet arma ferens, gentique, urbique pararet
Excidium extremum, monitis, ac voce Deorum
Delatum hoc Donum, & sævo e discrimine belli,
Relligione duce, ereptum, ac pietate secunda:
Namque prius templo, media dum nocte silerent
Omnia, cum strepitu ingenti vox ista per aures
Ivit multorum [4], queis limina sacra tueri

1 Quum igitur Petrus Eccl. Caput, & Princeps a Christo designatus monumentum vacuum introire non extimuit, viditque Sindonem, & Linteamina, quis dubitet hæc non neglexisse, quin sollicite secum asportasse? Johannem item viæ comitem tantarum exuviarum partem exquisivisse, & impetrasse, aut certe Josepho tamquam Sepulcri domino, & Nicodemo benemeritis de Christo discipulis omnia, uti decebat, consignata fuisse? Denique has divinitatis divitias, & incomparabilem thesaurum semper ad viros principes, & potentes rerum quasi per manus traditum, commendatum .... hinc ad Hierosolymitanos Reges pervenisse non ambigam. *Ping. de Sind. Evang.*

2 Sic videtur sensisse *Athanasius* in libello de pass. Imag. D. N. J. C. qui libel. lectus fuit, & probatus in Conc. Nicæno 2. act. 4. *Vid. Mall. c. 2.*

3 Ita Beda de Locis Sanctis c. 5. *Mallon. ut sup.*

4 Vox, Superorum credita, & de nocte audita hæc fuit: *migremus hinc*: μεταβαίνομεν ἐνθένδε. *Ex Euseb. Cæsar. Hist. Eccl. lib. 3 c. 8. Idem refert Nicephorus lib. 3 c. 4.*

Cura fuit: mora nulla esto: *nigremus*, *& istam*
Linquamus sedem: furor impius instat, & urget.
Hinc merito commoti animi, summusque Sacerdos
Protinus efferri in tutum sacra omnia jussit;
Et Syriæ delecta procul penetralia opimæ. [1]
Longum illic latuit reliqua inter & ipsa supremi
Justa Patris cura, & superis dulcissima Sindon.
Sed postquam Solymæ res fractæ, gensque superba
Mœnibus eversis ferro, tectisque domorum
Incensis passim, romanas denique leges
Accepit, manibusque omnis post terga revinctis,
Colla jugo æterno, & Capitolia ad alta securi
Pars quoque submisit, victricia tela cruore,
Dîs merito inviso, fœdans, ac debita solvens
Supplicia, & longa exemit formidine terras
Aurea pax cœlo nabathæa in regna reversa,
Rursus in antiquam sedem mirabile Textum,
Dulce humeris onus, illatum, & melioribus annis
Casibus in variis, perque arcta pericula rerum
Numine servatum est Divûmque, hominumque Parentis.
Tandem inter spolia, & virtutis præmia avitæ,
Captis vi Solymis, pulsisque ex arce Tyrannis,
Atque Cruce erecta, lunata ubi signa patebant,
Hoc quoque concessit; Regnoque, opibusque potiti
Dulcius haud quidquam cœlesti Pignore nostri
Unquam habuere Patres lætati munere tanto:
Nec patrio de jure mihi præstantius ullum
Obtigit hoc donum, nec quo decora inclyta nostra

1 Sunt, qui non Syriam delectam, sed oppidum Pellam trans Jordanem putant; idque bienn. ante Hierosolymæ eversionem contigisse dicunt. *Mallon. in Expl. S. Sind. c. 2.*

Aucta magis credam. Cur autem (heu triſtia fata !)
Nequicquam hæc memoro? Tantum hoc invidit acerba
Sors mihi præſidium, & rebus ſolamen egenis:
Quodque diu fruſtra ſtygia de gente miniſtri
Poſt alios alii emiſſi, Rectorque ſuperbus
Optavere dolis, atque artibus omnibus uſi;
Quod tot per maria, & male littora fida ſecuti,
Vi ſæpe incuſſa, ut ſoliti, nimbiſque, notiſque,
Id fido in regno potuere, oriſque in amicis.
Nempe ideo rapti ſpem ipſi objecere nefandam
Argenti, atque auri, ut manibus temerata ſceleſtis
Et cultu ſubducta omni, ferrove, rogove
Tradatur tandem, aut fœdos vertatur in uſus
Digna coli æternum Veſtis, certumque ſalutis
Pignus, & inferno de Rege inſigne tropæum;
Vanaque ſpes omnis jam reddita fraude, doliſque
Tartareæ eſt turbæ, cui notæ mille nocendi
Sunt artes, ſtygio cui cor ſcatet uſque veneno.
Hæc ubi dicta imo rurſum ſuſpiria corde
Mittit, & ora novo fletu irrigat: Annaque rurſus
Sperare exhortans mœrentia pectora mulcet.
Interea mandata ſuos circum undique ferre
Jam dederat Lodoix per fines, præmia ſpondens
Indicibus, veniamque ipſis, ſi ſponte fateri
Auſint commiſſa, ac Linum venerabile reddant,
Sontibus ignotis: jam rerum nuncia fama
Ocyus excurrens late oppida cuncta replerat.
Forte Deæ voces, furti quos cura nefandi
Exercebat atrox, & culpa indigna premebat,
Excepere ſuis e luſtris more ferarum
Nocte, cibi cauſſa, egreſſi, & vicina profecti

Ad tecta. Ergo animum, trepida formidine pulsa,
Arrexere statim, atque aliquam sperare salutem
Cœpere. Ast anceps vocat in contraria cura,
Atque agitat mentem: hinc veniæ spes suscitat ægram
Et relevat mœrore gravi; tum reddere rapta
Incitat: hinc retinet pudor, & malesuada cupido.
Præterea labor ipse viæ quoque turbat utrumque
Tabenti hunc dextra invalidum, illum lumine captum.
Namque ubi clam raptam solis, de more, sub antris
Prædam omnem ingentem, vetus est ut fama, recensent,
Protinus auratam, qua Sindon condita, (gemmis
Nam gravidam credunt longinquo e littore vectis)
Multa vi reserant, & adactis vectibus arcam.
Quumque vident sacro (visu mirabile!) Linum
Sanguine perfusum, & lethi certissima signa,
Quosque Deus voluit ultro perferre, laborum,
Æque ambo attoniti Telam laudantque, stupentque,
Æquo ambo studio cupiunt, & denique in ambas
Scindere constituunt partes, ne Pignoris expers
Alteruter tanti frustra invida fata queratur.
Jamque oram, ferro exerto, strictoque, parabat
Hic violare; oculisque favens, votisque tenebat
Explicitam socius: jam furti hortator, & auctor
Improbus aspectans voti, spe captus inani,
Nunc tandem, ajebat, nunc victor nostra revertar
Ad regna, & cura fratres, Dominumque potentem
Exolvam æterna, memori quam pectore cuncti
Servamus merito; quum protinus omnia cœpit
Membra pavor quatere audaci, penitusque cucurrit
Ima per ossa tremor: palmis cito ferrea sica
Decidit, & nervi riguere, immotaque ab armo

Impia, ceu pondus non utile, dextra pependit.
Tum ſocio exortem, facti novitate, metuque,
Atque dolore actus Telam donavit habere. [1]
Arſit inops animi ſtygium, implacabile monſtrum,
Inque iram vertit nova gaudia; nec tamen omnem
Spem captam abjecit: juveni mirabile Linum
Laudat; dein auri ſuccendens pectus amore
Lucrum ingens pretium fore curæ, omniſque laboris,
Si maculas tergat, queis ſordet, flumine puro,
Perſuadet recti inducens oblivia menti,
Mortaleſque hebetans viſus, & pectora turbans.
Nec mora fit: lucri jam ſacra cupido ſub imo
Corde furens agitat: jam lethi ſigna nefandi
Abluere infelix ſtatuit, fontemque requirit.
Quem ſimul accedit, maculiſque aſpergere lymphas
Tendit, & inviſam effigiem delere lavando,
(Mira loquor, ſed vera tamen, vulgataque fama)
Ecce repens fulgor Tela emicat, & ſtupor urget,
Caligoque oculos miſero, ac tremor occupat artus;
Vixque licet demum trepidantem ad nota referre
Antra gradum, & cuncta attonito dein pandere amico.
Quiſque ſuum caſum dudum, crudelia quiſque

Fata

1 Cæterum fures, dum rapta inter ſe partirentur, nec iſti ſatis demirari poſſent elegantem Sindonis texturam, nulli telarum comparabilem, hanc per medium abſcindere ſtatuunt. Sed forſices tênenti, tentantique contortæ ſunt manus... alter uſurpato ſibi integro Linteo, dum ſudoris, & cruoris humani ſtigmata undis abluere conatur, ut res venalior redderetur, eo magis utraque pars hominis apparebat: cujus radiis etiam utroque eſt orbatus lumine. *Ping. ut ſupra.*

Fata vocans ſortem in tenebris deflevit acerbam.
Tandem, cui ſubitum nimis audax dextra rigorem,
Traxerat, his ſocium adgreditur: quæ nunc tibi, amice,
Dic, inquit, menti ſententia ſurgit? amaro
Stat ne tibi in luctu trahere, & per inhoſpita ſaxa
Vitam infelicem, lethi diſcrimine parvo?
An ſcelus infectum, ut potius reor ipſe, volendo
Eripere aſſidua, quæ nos noctesque, dieſque
Jure coquit cura, & fatis melioribus uti?
Nunc equidem ſtatui, ſi fert tibi corde voluntas,
Mollia juſſa ſequi, & repetita remittere furta.
Non deerit, noſtro qui parcens rite pudori
Ipſe ferat Dominæ, & veniam, pacemque reportet.
Immo age (reſpondit ſolito fidentior alter)
Ultro ipſi oblatam, coram commiſſa fatentes,
Poſcamus veniam: ipſi regia tecta petamus.
Tu mihi dux: greſſus veſtigia nota prementi
Ipſe reges: non longa nimis via, notaque utrique eſt.
Forſan & iſta Deus nobis incommoda tandem
Corpore depellet cœlo miſeratus ab alto.
His dictis, ambo juſſam cito tendere ad urbem
Conſtituunt, prædaque parant quod valdius omni
Margaris optabat, Lini ſacra munera ferre.
At jam conſilium propius cocytius hoſtis
Senſerat accedens, ſtimuliſque ardentibus actus,
Quos furor addebat, verſuto in pectore fervens,
Artibus ipſe ſuis prævertere corda parabat
Nondum ſat firma, atque moræ ſubnectere cauſſas.
Principio nimis ampla monet promiſſa, nec ipſis
Fidendum: his miſeros ad pœnam, & ſæva repoſci
Supplicia, atque trahi illecebris, quos poſtea aperta

Vis premat inclusos, nec nomina vana deesse,
Fraudem ut prætexant, queis rerum est summa potestas:
In silvis agitare dies, perque invia saxa,
Et tutis condi multo præstare latebris,
Quam veniæ ludi spe incerta, & cedere partis,
Ingentemque ultro, & certam dimittere prædam.
Tum spectris etiam turbare improvida tentat
Pectora, & inflictam divino a Numine pœnam
Asperat incumbens miseris, & imagine terrens
Nunc hac, nunc illa, & partes se versat in omnes,
Fallere si incautos queat, ac formidine pœnæ
Deterrere via. Sed bini protinus alto
Æthere delapsi aligera de Gente ministri
Omnem vim stygiam præsenti numine, & ipsis
Offusas tenebras cœlesti luce repellunt,
Sufficiuntque animis ad quæque incommoda vires;
Atque viam haud visi subigunt cito carpere ad urbem.
Tænarii hinc regni ferus incola turbidus æstu
Irarum ingenti fremit horridus, antraque tandem
Tartarea, extorto ceu sævis dentibus agno,
Exstimulante fame, lupus ad sua lustra repulsus,
Exululans repetit, seque umbris condit in imis.
Interea nonam jam sol adduxerat alto
Axe nitens lucem, ex quo data sontibus ultro
Spes fuerat veniæ, atque omnes vulgata per urbes,
Quæ Lodoix dederat, mandata; & cœperat atrox
Pectore Phœnissæ rursum crudescere cura.
Jam non esse moræ tempus, nimiumque putabat
Exspectata diu duri solatia casus;
Compressasque adeo lacrymas, justasque querelas
Instaurans secum cognata relinquere tecta,

Poſtera quum primum, tenebris rutilo axe fugatis,
Inciperet cœlo ſplendere aurora, parabat.
Nulla quies animo, nullum eſt ſolamen amicis
Ex dictis magno, qui lapſus ad oſſa, dolori,
Quoque magis premitur furit, augeturque medendo.
Ecce autem binos regalia tecta petentes
Interea juvenes inculta in veſte, comaſque
Turpiter hirſutos, qui ſe quærentibus ultro
Quid veniant, furti auctores, ſcelerumque fatentur,
Spemque palam oſtendunt vultu, atque admittier orant.
Poſtquam introgreſſi, & veniendi cognita cauſſa,
Sic ævo major, cui dextra immota rigebat,
Incipit illacrymans: coram, quos quæritis, ambo
Adſumus (heu miſeri!) ſontes in utrumque parati,
Sive ſtatim meritas vobis dare ſanguine pœnas,
Seu, quod ſperamus, veniæ perſolvere grates.
En quæ ſuſtulimus furto (veſana cupido
Quid non mortales cogit?) donaria, veſtes,
Quodque aurum ſupereſt rebus ſpes unica egenis.
Forſan & his cunctis multo præſtantius iſta
Conditur, ambobus funeſta (en reddimus) arca.
Dein memorant, quanto ſteterit audacia utrique,
Dum Linum violare parant mirabile, & una
Hic dextram oſtendit, nervoſque hinc inde rigentes,
Ille oculos denſa circum caligine ſeptos:
Tum curis addunt ſtimulatum pectus acerbe
Uſque novis, donec ſedit ſententia menti
Reddere ſublatam prædam, atque expoſcere pacem.
His dictis placati animi, & miſerata benignam
Accipit in juvenes Hoſpes mitiſſima mentem,
Atque ſtatim hortatur certam ſperare ſalutem.

Tum jubet auratum ſuſtolli tegmen, & arca
Ipſa ſuis manibus Telæ ſacra munera profert,
Evolvitque oras notas, monumentaque pandit
Certa, horrenda necis, dioque impreſſa cruore.
Ac veluti, æſtivis quum noctibus omnia late
Nigreſcunt tenebris, & inhorret nubibus alte
Collectis aër, medium ſi forte repente
Diſcedat cœlum, & nova lux micet æthere celſo,
Plurima ſe fundens campis, loca cuncta renident
Ilicet, atra prius quæ nox involverat umbris;
Sic animo nubem diſcuſſit protinus omnem
Margaridi, lætumque oculis, vultuque decorem
Reſtituit recreans Donum cœleſte receptum:
Hoc faciem ſimul, & mentis mutavit, & oris,
Elicuitque ſonos hilares, riſuſque decentes.
Obſtupuere animis cuncti, nec corda tuendo
Explere, atque oculos poterant, ut ſanguinis atras
Servaſſet maculas Tela: ut fera vulnera duplex
A capite ad talos miro ordine cuncta referret
Effigies veneranda Dei; ut tenuiſſima poſſent
Lintea tantum ævi per tot terræque, mariſque
Tam varios caſus ſuperaſſe, & reddere tota,
Quæ cruor impreſſit, ſtacteque, & balſama ſigna.
Hærebantque oculis, hærebant pectore toto
Non minus attoniti, quam quum micat æthere ab alto
Inſuetum crinita, atque aſpera prælia terris
Stella polum excurrens certis prænuntiat horis.
At taciti in mediis ſtant fures: acrius ipſos
Jam pudor, atque dolor ſtimulant, & conſcia pravæ
Mens vitæ: ultro ſe accuſant, temerariaque auſa
Damnant exoſi, & ſuſpiria plurima mittunt.

Quos oculis patriis summi Regnator olympi
Aspiciens tandem, & sortem miseratus acerbam
Depulit immissam; quæ non medicabilis ulla [1]
Arte erat humana, languenti e corpore pestem.
Nec mora: continuo dextram ad supera alta tetendit
Jam validam, quæ immota prius, tabensque rigebat
Alter, & amissas rediisse in pristina vires
Sensit agens grates; alter, caligine densa
Discussa ex oculis, penitusque, ut nube, repulsa,
Unde mihi, exclamat, lux hæc tam mira repente
Reddita? Quis revocans hebetem ad sua munera visum
Adstitit e cœlo, tenebrasque hinc dispulit omnes?
Non mihi mortalis dextra attulit ulla salutem,
Me Superûm Genitor miseratus ab æthere tandem est,
Aut Superorum unus. Fletu dein cœpit oborto
Se venia indignum clamare, & poscere pacem.
His lacrymis cuncti simul ingemuere miserti,
Lætitiaque simul fremuere. At Margaris ipsum,
Ac sceleris socium verbis compellat amicis,
Atque ita solatur: quis vestro a sanguine pœnas
Exigat, aut odiis pergat vos insequi acerbis,
Quos Pater omnipotens servari hoc omine tanto
Admonet incolumes, & vestra ad tecta remitti?
Pellite corde metum juvenes: remeare licebit
Hinc vacuos cura, & fatis melioribus uti.
Nec vestes, aurumve moror: venerabile Linum
Ereptum flebam: hoc sumo: pars cætera vobis,

1 His rebus adducti prædones, furto restituto, religione se exsolvunt; & ad pœnitentiam stimulati, voto soluto, salutem præsentissimam consequuntur. *Ping. ibid.*

Quæ ſit cumque, mei monumentum, tempus in omne,
Eſto animi lenis. Tantum, oro, aſſueſcite recto:
Diſcite juſtitiam colere, & meliora ſequentes
Rite Deo, ac Superis poſthac perſolvite honorem.
Sic ait, & lætos dimittit læta; monetque
Hæc eadem Lodoix, veniam dum numine firmat
Ipſe ſuo, atque omni exemtos formidine abire
Imperat, ac tutos ad patria tecta reverti.
Illos turba frequens miratur, multaque circum
Spectandi ſtudio ſe fundit plurima quærens,
Atque moræ cauſſas nectens, dum regia linquunt
Limina, namque omnem jam fama impleverat urbem,
Miraque facta ipſis poſt reddita furta canebat,
Atque decus Telæ non enarrabile verbis.
Hinc epulæ inſtauratæ: ingens per ſplendida tecta
Fit ſtrepitus: Procerum reſonant longa atria fauſtis
Vocibus, & feſto late vicinia plauſu.
Tum vario ſermone dies traducta, nec uſquam
Mœſtitiæ ſignum, quæ mentem obduxerat atra
Nube prius, queſtuſque ultro, lacrymaſque ciebat
Margaridi incumbens, vultu amplius eminet ullo.
Ipſius ore omnes pendent, gaudentque tuendo
Explicitam frontem, tum qui nunc denique in illa
Primus honos ſplendet: tangunt nova gaudia quemque;
Illa ſimul grates Divûmque, hominumque Parenti,
Hoſpitibuſque ſimul reddit, dum vultu, oculiſque
Lætitia, exundans circum præcordia, ſe ſe
Prodit, & extollit gratantum turba receptum
Textile Opus, dii tam mirum Pignus amoris.
Jamque omnes curas, omnes oblita labores,
Quique ferum ob caſum nuper dolor oſſibus arſit,

Jusserat accitos famulos, ubi roscida primum
Tollere se thalamo aurora, atque rubescere cœlum
Inciperet, primi, rebus de more paratis,
Camberio excedant, atque hospita mœnia linquant:
Impatiensque moræ infelix, sortisque futuræ
Nescia digressum, nilque ultra, mente revolvit.
Sed lux instabat, Stirpem qua ornare Sabaudam
Munere cœlesti Divûm Pater, atque hominum Rex
Signis haud dubiis, decreverat. Injicit ergo
Hanc Annæ mentem, quod jam parat ipse, cupitque
Donare, ut precibus poscat, lacrymisque decoris,
Et simul ipsi animum miro succendit amore.
Illa premit voces aliquantum, & fluctuat anceps
Quid primum, quid deinde ferat, quæ exordia sumat?
Et pudor interea notat ora, ac pectore fervet.
Tandem his cognatam adgreditur, linguamque resolvit:
Haud equidem nostris sperabam, Margari, tectis
Sic te digressum celerare, & publica vota
Fallere: sed quando hæc perstat sententia menti,
Nec te flectit amor, generis nec vincla morantur;
Hisque excedentem accipient te denique avitæ
Hospitio sedes, famaque ingentia regna,
Unum oro: reditus, quem spondes, pignus amoris
Spem foveat, firmetque tui, quod poscere cogit
Subdita vis animo, atque mihi ignoscenda cupido.
Quam varii casus, quam cœca pericla viarum
Non latet expertam (heu!) nostris in finibus ipsis.
Hic tibi servandum reduci mirabile Linum
Linque, precor; liceatque tuo mihi munere tantum
Pignus adorare interea, curaque tueri.
Immo age (nam cur dissimulem qui fervet in imo

Pectore tam vehemens, certe haud ſine Numine, amorem
Ipſa tibi ?) æternum memores fac, Charni, merendo
Meque, Virumque meum, Natoſque, ipſamque Nepotum
Turbam omnem, & decus eximium tibi debeat uni
Camberium, ac gentes cunctæ, queis nomen ab illo :
Da proprium hic Donum venerari tempus in omne,
Manſuraſque aras, templique attollere molem :
Tum tibi ſemper honos maneat, nec ſæcula laudes
Ulla tuas taceant. Cui Margaris illico obortis
Suffundens lacrymis vultum, ingenuoque pudore,
Heu votis, inquit, ſemper contraria noſtris
Fata, & nunc etiam crudelia ! Me ne roganti
Anna tibi obſtare, & non indulgere volentem ?
Heu quia nam potius, patriis quod reſtat in oris,
Quidquid id eſt, mihi, quod ſuperat mihi veſtis, & auri
Non petis ? Et fateor dignam, ſemperque fatebor,
Dum memor ipſa mei, cœleſti Munere, nec te
Promeritam pietate, vel hoc majora, negabo,
Si majus quidquam eſſe poteſt. At cedere ſponte
Non fas ; non me juſſa ſinunt, monituſque Parentis
Summi Cœlicolûm, tacitis qui hortatibus implens
Impulit hos tantos terraque, marique labores
Tam longa perferre via, monuitque levamen,
Præſidiumque meis hoc ſemper, & undique rebus
Sperare a Dono, generis quo denique noſtri
Ipſe decus voluit, luſtris labentibus, auctum.
Conſtitit his dictis Anna, & vox faucibus hæſit,
Invadenſque imis ſubito dolor oſſibus arſit :
Diſſimulat tamen, & premit alto corde, nec ipſo
Oſtendit vultu, quem protinus inde ſerenat,
Atque jocis, riſuque ſtudet diffundere læto.

Verum

Verum ubi se thalamo tandem, stratisque recepit,
Solaque non dignam cœpit versare repulsam,
Sola decus Doni, & spem, quæ irrita cessit in auras,
Quantus o erupit concusso e pectore mœror,
In lacrymas se se, & crebra in suspiria fundens!
Flebat inexpletum, & tendens ad sidera palmas
Ultro se indignam, commissa piacula damnans,
Si qua recursabant, vel longo ex tempore, menti,
Munere clamabat tanto, veniamque rogabat;
Vixque dedit membris tandem fera cura quietem.
Audiit hos questus cœli de vertice summo
Divûm, hominumque Pater; totque inde e millibus, alto
Qui solio affusi circum omnia plausibus implent,
Delectum juvenem aligerum, volucremque ministrum
Allobrogum ad fines, & mœsta ad limina jussit
Se se ferre Annæ: moneat, dum detinet artus
Sera quies stratis, quæ sit sibi certa voluntas
Sacro de Lino, lucemque instare beatam,
Qua proprium faciat Generisque, Domusque Sabaudæ,
Præsidiumque paret cunctæ per sæcula genti.
Nec mora: jam fulgent humeris candentibus alæ:
Æthere jam lapsus secat auras, densaque tranat
Nubila, & emenso spatio, citus adstat amœnis
Collibus, unde urbem adversam despectat, & altæ,
Quam petit ipse domus fama late inclyta tecta.
Nox erat, & metæ jam proxima ab axe ruebat,
Oceanoque rotas proferre aurora parabat;
Quum tacitus summum cœli puer incola clivum
Liquit, & optatis successit sedibus Annam
Luce petens nitida dium caput, oraque cinctus.
Tum trepidam in somnis monstri novitate, metuque

Perculſam ingenti ſolatur talibus orſus:
Cur tantos volvis, priſco ſata ſanguine Regum,
Curarum fluctus ſub pectore? Gaudia mente
Concipe jam digna, & mœſtis impone querelis,
Ac lacrymis finem. Terras qui numine torquet;
Qui maria, atque polos unus miſeratus ab alto eſt,
Audivitque preces bonus, & tua vota ſecundat.
Craſtina (ne dubita), tota quod mente petiſti,
Munere ditabit te lux: ſtat certa voluntas
Nota mihi, atque meis jamdudum fratribus ipſi,
Cujus ab ætherea delapſus ſede miniſter
Huc venio, & monita alta fero data juſſa ſecutus.
Nec tibi, quam celeri fugiens pede finiat ætas,
Lætitiam refero: Generi, Natiſque tuorum
Natorum Omnipotens, & qui naſcentur ab illis
Hoc decus aſſignat; nec vis ulla auferet ævi,
Nec ſtygii Regis, nec, quorum pectora fraudis
Sunt fœcunda adeo, fratrum inſidiæve, dolive,
Dira licet pugnet, totumque Acheronta refundat
Turba frequens ſimul, & partes ſe verſet in omnes.
Quin & edax ignis (mirum!) flammæque furorem
Dediſcent (mihi crede) ſuum, mediaſque per ipſas [1]

1 Sed dira bellorum præſagia anno 1531 demonſtrata ſunt, quum II non. Decemb. nocte media vix illabente, illud Arcis Sacellum, in quo Sindon reponebatur, flammis incognitis exarſit. Accurrebant omnes, ſed omnium diligentiſſimus Philibertus Lambertus Ducis a Clavibus, & a Conſiliis, aſcito ſecum ferrario fabro Gullielmo, Puſſodo nomine, & Franciſcanis duobus, imperterrito animo per medios ignes gradiuntur, cancellos ignitos aræ maximæ affixos, ſeraſque effringunt, Sindonem, jam liquefacta capſa argentea, extrahunt, & integram, cedente circum flamma, reportant.... Iſtud equidem palam

Dum labefacta ruent laquearia sacra, fluetque
Æs, aurumque solo rivis, tenuissima textu
Tela, Patris summi auspicio, & pietate secunda,
Fumum inter densum dextris felicibus acta
Evadet victrix, penitusque illæsa periclo;
Servatamque olim facti novitate minores
Attoniti aspicient, venturaque sæcla stupebunt.
Proh! quot jam cerno totum vulganda per orbem
Mira opera, & quantos inferno ex hoste triumphos,
Queis Deus ipse suum clarabit ab æthere Donum!
Quot Proceres video monstris cœlestibus actos
Confluere, & sua vota pios hic solvere! Quantam
Florentumque annis juvenum, matrumque, virûmque
Undantem turbam varia ex regione ruentem!

omnes vidimus (tunc enim aderam) & obstupuimus. Nec multo post Sindon publice repræsentata est integerrima, præter quod (extra tamen sacræ iconis partes) in complicatu exiguæ quædam ambustionis notæ, veluti perpetuæ miraculi testes remanserunt. *Ping. ib.*

Huc accedat quod erudite, ac sapienter in hanc rem Simon Majolus Episcopus Vulturariensis his verbis: nec fortuito id factum existimandum est, ut scilicet ambustionis in Linteo signa conspicerentur, in icone autem nulla prorsus fuerit læsio. Id enim contigit, ut ea ex re miraculi magnitudo adaugeretur, Sanguinisque Christi privilegium fuisse cognosceretur, non lini cyprii, aut indici, quod non exuritur: nam si id humana arte fuisset aut pictum, aut delibutum, aut forte lino cyprio tela contexta putaretur, utrique rei unum respondet miraculum; servato enim Lino, pigmenta omnia igni fuissent obliterata, emundato, non combusto Lino: quod tamen tunc contra evenit; ut scilicet Linum certis locis combureretur, Sanguis illæsus perseveraret, ut non lini cyprii privilegium, aut natura, sed divina in icone potentia manifestaretur. *T.* 1 *coll.* 2.

Nec non & Reges [1] pedibus (mirabile dictu)
Tendere iter longum, ut Pignus venerabile adorent;
Aspicio, & primo cinctum sub flore juventæ [2]
Purpureo serto, mox & pietate futurum
Insignem, factisque Virum, Ditique tremendum,
Abdua quem mittet, quem tollet ad æthera virtus;
Quemque manent jam nunc cœli nitidissima templa:
Tum reduces demum, & perfecto munere lætos
Nil Dono hoc majus, nil usquam tale fateri.
At tu divinos divino Pignori honores
Grata para, atque diem fastis sollemnibus adde.
Nec tamen hic sedes Monumento, arisque futuris
Perpetua: hinc alio multis memorandus in oris
Vir bello, atque armis, vestroque e sanguine cretus [3]
Transferet haud summo sine numine; claraque tandem
Urbs fama, atque Virûm felici prole, opibusque
Taurinum excipiet, tolletque ad sidera molem

1 Amedeus IX Ludovici fil., ob vitæ sanctimoniam inter Divos relatus, sæpe, venerandæ Sindonis caussa, Camberium pedibus e Subalpinis profectus est cum Iolanda a Francia uxore sua, pietate quoque spectatissima: præter hos Franciscus Gallorum Rex Lugduno Camberium eamdem ob caussam pedibus se contulit: Carolus item Sab. Dux, sævæ pestis elapsus periculo, duodecim comitibus secum assumtis, pedestri itinere alpes trajecit, & Camberii vota solvit. *ibid.*

2 D. Carolus Boromæus Cardinalis, & Archiep. Mediol., cujus peregrinationem ex voto susceptam italica epistola diligenter persecutus est Franciscus Adornius Genuensis: quam epistolam latine reddidit Joh. Antonius Guarnerius Canonicus Bergomensis. *ibid.*

3 Emmanuel Philibertus Sab. Dux, qui XVII Cal. Oct. an. 1578. S. Sindonem Taurinum advehi jussit. *ibid.*

Marmoream, ingentem, rituque, auroque ſuperbam;
Muneribuſque aras cumulans nova ſacra quotannis,
Sollemni ex more, & memorem inſtaurabit honorem.
Dixerat; & ſubito in tenues evanuit auras,
Sidereæque arci paribus ſe rettulit alis:
Nec dum ex axe dies diluxerat, aſtraque nondum
Omnia flava caput tollens aurora fugarat.
Anna, ubi ſomnus abit, ſtrato ſe corripit anceps,
Quid timeat, ſperetve: animos tamen omine tollit;
Pectore namque ipſi ſedet imo, atque hæret imago,
Et frontis divinus honos, & gratia fandi;
Verbaque cuncta hærent, curas queis mulſit acerbas
Ætherea de gente puer demiſſus ab alto.
Somnia nunc reputat, quam vana, & vanius ipſis
Eſſe nihil dicit; nunc rurſus vera ſub ortum
(Ut vates cecinere), inquit, quandoque diurni
Luminis eſſe ſolent: ſpeſque huc, & protinus illuc
Torquet eam metus, & vocat in contraria mentem.
Tandem ambas tendit cum voce ad ſidera palmas,
Cœlicolûmque Patrem ſupplex, Superoſque precatur,
Fauſtis dent viſis pondus, ſuaque omina firment:
Uberibuſque iterum lacrymis rigat ora, ſinumque.
Margaris interea, famulis præcedere juſſis,
Ut mos, jam jubare exorto, rebuſque retectis
Luce nova, amplexus cognatæ mœſta ſupremos
Exſpectans, abitum, & verba officioſa parabat;
Jamque ingens Procerum, matrumque caterva fluebat,
Hincque ſuum Lodoix, hinc conjux ore dolorem
Prodebat; ſedes repetit quum nuncius altas
Accelerans, urbiſque refert inſiſtere portis,
Divite qui capſa impoſita modo lætus abibat,

Quadrupedem haud alias ſic ſæva ad verbera durum;
Nil ſtimulos, fuſteſque feros, nil verba valere, [1]
Averſumque pedes ſua per veſtigia ferre;
Id certe e cœlo ſignum, & portendere quidquam;
Poſcere ſe Dominam, quæ ſtet ſententia menti?
Quæ ſociis monſtro attonitis det juſſa ferenda?
Audiit hæc Anna, ac veluti correpta furore
Hoc erat, hoc, inquit, ſuperis quod miſſus ab oris
Spondebat paullo ante mihi puer incola cœli
Noctem poſt mediam manifeſto in lumine fatus.
Tum viſa in ſomnis cuncta ordine, verbaque pandit,
Inſtauratque preces, promiſſaque munera ſacra
Illacrymans poſcit: Lodoix quoque poſcit, idemque
Turba rogat Procerum, quæ celſa per atria inundat.
Quid faceret miſeranda Hoſpes, ſubitoque relatu
Turbata, atque amens, lacrymiſque ambita decoris?
Hæſit ubi paullum, preſſoque obmutuit ore
Multa movens animo, quis (ait) cœleſtia tanta
Hæc temnat ſigna, atque invito Numine veſtris
Obſiſtens votis merito vos fraudet honore?
Ulterius jam obſtare nefas: do victa, volenſque
Quod petitis: faceremque utinam dum pignus amoris
Certius eſſe mei poterat venerabile Donum!
Nunc monita alta ſequor Divûmque, hominumque Parentis.

1 In ipſo urbis egreſſu numquam adduci, cogive potuit mulus clitellarius, cui ſacrum onus impoſitum fuerat, portarum valvas prætergredi, ut alios ſequeretur: ac proinde exiſtimatum eſt, divina id fieri providentia, divinum illud Pignus Sabaudis Principibus, & Camberio deberi. Itaque a Ludovico, & Anna Ducibus exoratur tandem Margarita. Ipſa adducta eſt rei miraculo ad donandum. *Ping. ut ſup.*

Ne tamen (unum oro) minus hoc ſit grata voluntas.
Sic ait ; atque moræ cauſſam , ſævique doloris
Protinus auratam ſibi ferri præcipit arcam ,
Plurimaque hinc Lino primum oſcula figit , & inde
Doni adhibens teſtes Proceres , tabulaſque perennes , [1]
Vixque premens lacrymas Cognatis donat habere.
Annuit omnipotens Genitor , radiiſque micantem
Oſtendit cœlo nubem tecta aurea ſupra ;
Terque poli lævum intonuere , & læta , frequenſque
Cœlicolûm pennata cohors dedit æthere plauſum.
Quis mihi nunc Annæ referat , populique , patrumque
Lætitiam , miſcet quæ paſſim pectora inundans ?
Quiſve tuam ſperet , Lodoice , æquare canendo ?
Protinus & Superis grates per templa ſolutæ
Ipſius imperio , & caluere altaria thure ,
Et nova diffudere animos hinc gaudia paſſim ,
Conſciaque arridens ſpiravit mitior aura :
Protinus iverunt cœlo lætæ undique voces ,
Et nemora ac valles circum , & ſonuere ſupini
Vitiferi colles plauſu , ac juga ſumma , lacuſque ;
Famaque replevit veris rumoribus oras.
Tum decoris fulſere novi monimenta futura
Ductilis argenti conflatæ laminæ in orbes , [2]
Igneque ſpectatum fulvum aurum. His arte magiſtra
Aliger effictus Telæ extendebat utramque

1 Exſtant tabulæ , in quas relata fuit donatio Camberii die 22 Mart. an. 1452. *Vid. Ping.*

2 Vide numiſmatum exemplum ante X epigramma italicum , quæ numiſmata , ut perennis exſtaret tanti Doni memoria , & Carolus III poſt Ludovicum an. 1487, & Emmanuel Philibertus an. 1578 recudi juſſerunt.

Hinc atque inde oram manibus, tacitusque ferebat
Non hominum e dextris Donum, sed ab arce profectum
Ætherea, auctoremque unum qui sanguine pinxit
Ipse suo mirabile Opus, merito usque vocandum.
Ductaque spirabat cœlesti munere læti,
Æreque in adverso exstantis Lodoicis imago.
Nec non dicta dies, qua pura in veste sacerdos
Evolvat populo coram, patribusque vocatis
Textile Opus cuncta ostendens, nostræque salutis,
Lintea quæ servant, certissima signa, necisque
Infandæ, & victa de morte, ereboque triumphi;
Sollemnesque sacro instaurentur Pignori honores.
At ferus umbrarum, ac vasti Regnator averni,
Tristis ubi rumor subrectas impulit aures
Regna per ima ruens, sedesque implevit opacas,
Quantus o intonuit ferventi concitus ira,
Et rabido ore vomens, dictu mirabile, virus!
Continuo implexis capita anguibus horrida quassans
Terque, quaterque solum pedibus pulsavit equinis,
Et tremuere lacus circum, tremuere cavernæ;
Horrendumque oculis arsit: dedit auribus ignem,
Et piceum fumum: fumum prorupit & ignem
Naribus, atque manus sibi carpsit morsibus instans:
Ingemuit fera turba, latus quæ plurima stipat,
Attonitisque artus concussit Manibus horror:
Omnia dein strepitu sonuere, & diro ululatu.
Mox ubi verba, diu sævo quæ pressa furore,
Promere fas tandem, rabiemque erumpere acerbam,
Fratribus accitis, superas quos nuper ad auras
Innumeros frustra infernis emiserat antris,
Invisam ut Telam, infandi monumenta doloris,

Exi-

Exitiique sui, ferrove, ignive abolerent,
Has medius rupit flammato e pectore voces:
Hanccine vos laudem tanto ex molimine, segnes,
Hæc decora alta domum retulistis? Scilicet omnes
Huc recidere artes, huc insidiæque, dolique,
Casibus ut belli ereptum, & discrimine ab omni
Sedibus in tutis, queis non inimicior ulla
Sit nobis, nostro videam exitiabile regno
Donum horrendum, ingens, molemque ibi surgere templi
Æternam? Videam clades, & dira parari
Bella iterum? Sic torpent vires? Numina sic jam
Fessa jacent vestra? atque viæ, notæque nocendi
Diffugere animo, queis tam clari hactenus, artes?
Vos ego ... sed liceat conari extrema: sub auras
Ite quidem rursus, sociosque educite quotquot
Sit ducibus visum, fœcundaque pectora tandem
Concutite, ut par, & commune refellite crimen;
Postmodo segnitiæ, mea si spes irrita cedat,
Præteritæ hic pœnas mihi jure, novæque luetis.
Dixerat, atque statim vastis graveolentis averni
Faucibus erumpens tenebrosis exstitit antris
Lucifugûm pennata cohors data jussa capessens,
Inseditque frequens nebulis juxta obsita densis
Cæca vada, alitibus non pervia, dictaque Aorna
Propterea Graiis, calamoque obducta nigranti,
Horrificisque jugis præcincta, & livida limo.
Tum Babuel (stygiæ summus dux iste cohortis,
Horrida cui setis frons, sibila colla, manusque
Unguibus incurvis fœdæ, pars cætera serpens)
Littore in informi, qua tellus uda mephitim
Pejorem exhalat, quaque halitus inficit auras

M

Noctivagam turbam, colubris horrentia monstra,
Concilium ad magnum vocat omnem, ac talibus infit:
Quæ fuerint summi modo Regis jussa, minæque
Sat notum, o socii, & cunctis, reor, occupat artus
Horror adhuc, hærentque imo sub pectore verba.
Nunc, quæ tandem animo vobis sententia surgat,
Quæ spes sit cuique hic audire ex omnibus opto.
Sic ille; & cœtum circumfert ora per omnem
Responsum exspectans, tacitisque obtutibus urgens.
At Procerum nemo fari audet: faucibus hæret
Vox cunctis; obstipa sinum capita horrida tangunt.
Queis Babuel fera corda tumens, & concitus æstu
Irarum insano, cur o, cur torpidus iste
Languor habet mentes? Quid mœsta silentia vestra
Portendunt, inquit? Non his, lacrymisve, metuve
Tempus eget: tum rauca sonans jubet illicò primum
Effari Behemoth, mox Bavum, ac deinde Molorchum,
Astu omnes celebres, & fallere voce sagaces,
Infandisque ausis per regna Acherusia claros.
Nec mora: sic Behemot atro spumantia tabo
Guttura recludens horrenti e culmine fatur:
Rem magnam, o socii, adgredimur, magnisque periclis,
Sollicitoque metu plenam; at, nisi pectore firmo
Quisquam egeat vestrum: si cunctis dicta probentur
Hæc mea, nunc demum repetemus patria læti
Tartara (vel totus contra conjuret olympus);
Æternaque animos solvemus denique cura.
Ilicet invisam (sic stat sententia) ad urbem
Pergamus cuncti, Linoque paremus apertam
Vim simul; atque ignis voret exitiabile Textum.
Qui fieri id liceat, quove hæc fiducia tendat

Accipite: inſpiret ſubter præcordia virus
Ipſa ſuum Alecto paſſim, immittatque furorem
Civibus haud paucis: tum nos, queis effera verſet
Corda magis, queis accendat violentia major,
Terrenque inſit vis neſcia, protinus omnes
Inſtemus ſtimulis; noſtriſque hortatibus acti
Cum facibus, teliſque ruant ad regia tecta,
Auſpicibus nobis, mirandaque Lintea mixtim
Cum tabulis, ſigniſque ſacris late excitus ignis,
Cumque ipſis dominis abſumat limina inundans.
Seditio in primis, ac jurgia, ſparſaque belli
Crimina proficient. Facta, atque infecta canamus
Per fora, perque domos, frauſque, & mendacia proſint.
Audendum, o ſocii, atque invito pectore agendum.
Hæc ſumma eſt: noſtris nunc notis viribus uſus.
Hæc ubi dicta oculos ſuffectos ſanguine & igni,
Intorquet Bavum contra: tum labra veneno
Deſpumant, colloque angues capita ardua tollunt.
Aſſenſere alii fremitu, plauſumque dedere.
At Bavus fœdam frontem, horrendumque bicornem
Protinus adducens, medioque ex agmine ſurgens
Quam facile eſt, inquit, Behemoth, cui copia fandi
Larga ſit, hortari, & ſuadere vel optima dictu!
At, factis ubi opus, quid proſunt denique verba?
Tu ne dolis capere, & vi, ſubitoque tumultu
Dilectam ſuperis urbem, ac pietatis amicam
Miſcere adgrederis, cæcoque armare furore?
Tu Stirpem egregiam, & late præſtantibus auſis
Claram adeo, ſtudiiſque animos, & amore paterno
Sollicitam retinere magis, quam vique, metuque;
Vindice qua, imperio ſubjectas læta per oras

Proh dolor! incedit templis dignata superbis
Relligio patrum, miroque fovetur honore,
Vincere tu speras, penitusque, armisve suorum,
Aut igni exscindi? Sic nota potentia nostra?
Sic notæ vires? Quæ mentem insania cepit?
Sed liceat miscere urbem, subitoque furore
Turbare, & pavidis incendia subdere tectis,
An tibi continuo Superûm dulcissima cura
Tradetur Monimentum ingens, ferroque licebit,
Aut abolere igni, Ditisque facessere jussa?
Quis dubitare ausit, cœlesti numine tutum
Usque fore hoc Pignus, si vis, & aperta parentur
Bella palam? Vel quis vestrum conamina vana
Præterita haud meminit? Quis spes, fraudataque vota?
Quid memorem, quantus dolor ossibus arserit imis,
Commistusque pudor circum præcordia fervens,
Quum frustra in Syria, totoque oriente tumultus
Miscuimus tantos simulacris bella cientes
Omnibus, ut dextris hoc unum denique amicis
Absumtum penitus, ferrove, ignive periret?
Quid stimulos juvit passim versasse potentum
Pectoribus tantos, acremque agitasse Leonem, [1]
Copronymumque ferum, duo magni fulmina belli,
Nilque intentatum multos liquisse per annos?
Artibus hic nostris, socii, insidiisque, dolisque,
Non armis usum reor esse, aut viribus ullis.
Fallere custodes, si fas, ego suadeo, & altis
Ædibus invisum furto subducere Donum.

1 V. *Baronium* A. Ch. 723, num. 18, & *Bellarminum* lib. 3 de SS, cap. 6., ubi multa in Iconomachos, eorumque originem.

Forte ibi non deerit noſtris qui hortatibus actus,
Ingenioque ſuo, facilis mea vota ſecundet:
Id pugnare omnes jubeo, huc ſua quemque referre
Conſilia, atque aſtum, nec magno abſiſtere cœpto,
Quæ vis cumque inſtet primis conatibus obſtans.
Tum non difficile (aſpiret modo fauſta labori
Sors tandem, ut ſpero) aut pœnæ formidine dextras
Armare in prædam, aut improvida fallere corda,
Ut ſaltem ſpreta indignos vertatur in uſus.
Arſit ad hæc Behemoth, atque horridus ore, feroxque,
Impatienſque iræ jam contra multa parabat
Fundere, conceptumque animo exhalare furorem.
At vetuit Babuel, juſſitque repente Molorchum
Surgere, & effari quid ſentiat. Ille rigentem
Demulcens barbam dextra, anguinoſque ſiniſtra
Detorquens nexus rabido ſic pectore fatur:
Nec mihi quod Behemoth, nec quod tu, Bave, locutus
Arridet; pariliſque ambos veſania verſat.
Nam quid vis tandem vel aperta, vel abdita proſit
Poſt tot conatus, poſt tot tentamina vana?
An cuiquam ignotum manifeſto numine cunctis
Caſibus ereptum hoc ſemper mirabile Pignus!
Nempe placet clades, generiſque opprobria noſtri
Augere, o ſocii, ſævoſque iterare dolores.
Non equidem id patiar; nec fruſtra pandere verbis,
Quæ mihi ſit menti ſententia, juſſerit, ingens
Tartareum lumen, Babuel. Via tuta patebit,
Me duce, ad æternum decus; & memorabile nomen.
Accipite ergo hilares mea dicta, animiſque paratis
Utiliora ſequi, tacitiſque haurite. Quod armis,
Vique alii tendunt fruſtra, inſidiiſque, doliſque,

Id paucis ſpero (nec ſpes mihi vana) ego verbis
Poſſe ſtrui , atque vetus deleri dedecus omne .
Protinus hinc juſſam cuncti pergamus ad oram ;
Parſque urbem , qua textile Opus , violabile nullis
Viribus infernis , pars oppida cuncta petamus ,
Vallibus Allobrogum quæ ſparſa , & montibus altis ;
Hincque domos , quavis ſub imagine , & omnia circum
Compita luſtremus , pagoſque , viaſque frequentes ;
Hic commenta ferat ſua quiſque , & vocibus inſtet ,
Dum labefacta fides ruat omnis , & undique , vilem
Ut rem , Donum ingens contemnat credula turba .
Sic ille ; & , ſciſſo ſtudia in contraria cœtu ,
Protinus ingenti ſonuerunt murmure circum
Littoraque , rupeſque cavæ , valleſque profundæ ,
Diſſenſuque ivit ſublatus ad æthera clamor .
Ceu quum nimbiferi adverſa ex regione ruentes
Incubuere mari venti , & fera prælia miſcent ;
Jamque ſupra ſcopulos tumidæ , cœloque minantes
Aſſurgunt undæ , & plangunt ſubito impete pulſæ
Littoreas oras , ſtrepitu late omne remugit
Spelæum immani , & reboant nemora alta , lacuſque :
At Babuel , fremitu , verbiſque , manuque repreſſo ,
Quid cunctamur , ait ? Potior mihi nulla videtur ,
Nec certe eſt ratio , quam quæ , ſuaſore Molorcho ,
Intentata prius nobis fauſta omnia ſpondet .
Omnibus hæc placeat , noſtræ queis gloria gentis
Eſt cordi , & qui juſſa timent ſat nota Tyranni .
Ludite commentis animos ; commentaque ſemper
Ingenium prodant , quæ ſint ea cumque , probentque .
Principio obſtandum : ſi mentes didita fama
Cœperit arrigere , & pietas accendere amore ;

Lumina ſi figi ſemel , atque hærere tuendo
Quod violare nefas nobis , inſigne tropæum ,
Irrita ſpes omnis, ſocii , vota irrita cedent ,
Noſque iterum fruſtra ſero ſapuiſſe pudebit ,
Nec tamen omnino inſidiis abſiſtere , & omni
Fraude veto : liceat moliri extrema ; viamque ,
Quæ ſe prima dabit , fuerit quæcumque , ſequamur .
Nunc agite , & rapido longum per inane volatu
Mecum omnes petite arva ſimul , quæ aſpergine circum
Irrigat exundans multa quandoque Lemanus :
Diditaque hinc porro ad ſua munia quiſque migrato.
Vix ea fatus erat ; ſubito late horruit aër
Lucifugis monſtris , late cocytia nubes
Infecitque ſolum , totumque immanibus alis
Obtexit ſtridore gravi ad ſupera ardua nitens.
Latrarunt ſine more canes , mœſtoque ululatu
Omnia replerunt , qua ſupra diffidit auras
Dira phalanx ; juſſiſque furens tandem adſtitit arvis.
Nec mora : diſtribuit ſua cuique hic munia ductor ,
Conſtituitque locum, quo tendat, & unde recedat ;
Et jubet audere , atque animo præſumere certa
Gaudia. Fit pennis ſonitus : tum protinus auras
Sublati obſcurant cuncti una , atque æthere ab alto
Mox diverſa petunt rapidi , & data juſſa faceſſunt.
Sic nemore in magno quondam , ſi forte canum vi
Perdicum generoſa cohors ſalit excita denſis
Virgultis , ſimul omnis abit trepido aëra findens
Cum ſtrepitu , donec tumuli de culmine ferrum
Intonuit , pavidaſque aures aſſibilat igni
Concita lethalis glans plumbea : tunc ſubito agmen
Solvitur , & tutas ſibi quærit quæque latebras ,

In parteſque ruit varias, perque avia tendit.
Pars ingens ipſum ſequitur Babuela; citoque
Camberii allabens ſuccedit mœnibus altis;
Pars urbes alias ſubeunt, atque oppida circum,
Impoſitoſque jugis pagos, & vallibus imis;
Inde domos luſtrant, campoſque, viaſque frequentes,
Atque hominum in faciem vertuntur plurimi, & ore
Mendaci, ac falſis ſimulacris pectora ludunt.
Nunc o ſermones varios, commentaque vana,
Fundere quæ docti paſſim ſparſere ruentes,
Muſa, mihi memora, tum quod cœleſtia Dona
Hinc decus excepit, quæque illis gratia, honoſque
Acceſſit tandem, & magnum, celebremque triumphum.
Jam prope lux aderat totum memoranda per orbem,
Qua Lodoix ultro, ſtudiiſque favere ſuorum
Inſtituit primum, populiſque ad ſacra vocatis
Poſſe dedit cœli Donum mirabile ab alto
Culmine propoſitum venerari, & ſolvere vota.
Et jam Camberium fama excita multa parabat
Se ſe ferre manus: ſtudio, matreſque, virique
Jam parili ardebant, & qua ſecat arva Lemano
Erumpens Rhodanus, vicinaque mœnia lambens,
Mœnia cara olim Superis, nulliſque ſecunda
Relligione patrum, at ſtygia nunc tabida peſte,
Quæ magis uſque ferox dirum vomit ore venenum
Inficiens late, qua ſe ſe orco extulit, auras;
Et qua Centronum paſſim magalia ſurgunt
Rupibus impoſita, atque ima caput Axima valle
Attollit, campoſque Iſaræ rigat unda patentes.
Omnibus idem ardor Garocelis; omnibus idem,
Proxima bello acres qui exercent rura, Sedunis.
Quin

Quin & Tectosages, clara licet urbe remoti,
Et Salyes studio incensi, hirsutique Bigerri,
Lingonicisque arvis, Vogesique in finibus orti.
Quos inter, retinere studens, cocytia turba
Irrequieta ruit; nuncque his, nunc protinus illic
Omnia transformat se se in mortalia spectra,
Ingeniumque acuit, commentaque vana per ora
Diffundens falsis implet rumoribus urbes.
Hic blaterant varia sub imagine, Lintea vera
Disjunctis penitus, jam longo ex tempore, in oris
Servari, texuntque adeo, quo pectora ludant
Fabellas vafri, & fingunt casusque, vicesque:
Illic expendunt, ævi quid longa vetustas
Carbaseam in telam, & molli tenuissima textu
Fila queat, numerantque annos, simulataque veris
Miscentes passim convicia plurima fundunt. [1]
Ausi quin etiam monimenta evolvere Patrum,
Et superare negant dii vestigia posse
Sanguinis in Lino, &, detersa cæde, relinqui
Effigiem excepti potuisse ibi Corporis, unda
Abluti prius, & myrrha perfusi, aloëque;
Infernasque acuunt linguas, maledictaque adornant,
Incautisque animis tenebras offundere tendunt.
Sic Lini decora alta parant verbisque, dolisque
Deterere, & cultum, meritosque avertere honores.
Non tulit omnipotens divini Muneris auctor,
Cœlicolûmque Pater: stygiæ mendacia turbæ

1 Nonnulla ex his effutiit postea Calvinus suo tempore, ejusque pertinaces asseclæ; quæ argumenta, utpote levia, paucis quidem, sed validissimis rationum momentis diluit *Pingonius in libro sæpe laudato de Sind. Evang.*

Mentibus hærere haud passus, nec serpere late
Tentatura alios populos dedit irrita ventis;
Elusitque artes, Donique extendere famam
Ipse sui instituit miris circum undique factis.
Sic nebulas quandoque lacu, vel gurgite vasto
Sublatas, & humum late caligine cæca,
Littoreasque oras sub noctem, aut mane prementes
Dissipat irrumpens eurus, solemque reducit.
Multa igitur, matrumque manus, puerûmque, virûmque, [1]
Relligione duce, & studio venerabile cœli
Munus adorandi dominam confluxit ad urbem.
Multos Annecium, & saxo fundata vetusto
Tecta, Gebennæ olim heroum gratissima sedes:
Multos Bonnopolis misit, misere Viennæ
Mœnia non paucos, Rhodanoque, Isaræque propinqua
Et rura, & montes, & quæ late oppida surgunt.
Quos inter mœstis spes haud incerta salutis
E tectis aliquot, quos longo ex tempore morbi
Exercebat atrox, & non superabilis arte
Vis, traxit, captosque oculis, atque auribus ortos
Indociles, nullasque potis qui reddere voces;
Queis membra hulceribns fœda, aut immota rigore,
Aridaque, & queis mentem agitans vexabat Erynnis.
Jamque propinquabant portis, templumque petebant
Partibus ex variis, studio sed conciti eodem,
Innumeri, pia turba, viri, juvenesque, senesque,
Et patribus misti pueri, innuptæque puellæ;

1 Ubi percrebuit, sacrosanctam Sindonem asservari Camberii, magni ex vicinis, atque ex remotis locis mortalium concursus facti. *Joh. Tonsus in vita Emmanuelis Philib. Sab. Ducis, lib. 2.*

Implebantque vias. Quos ut de vertice ſummo
Adventare procul, tantoque accedere vidit
Concurſu Babuel, fratrumque ingentia cœpta
Irrita præſenſit, quis pandere carmine poſſit,
Qui ſubito exarſit dolor imo in corde, furorque?
Qui pudor, & miſto præceps inſania luctu?
Conſtitit, & tacitus ſocios, quæ plurima circum
Non furiis agitata minus, ſævoque dolore
Stabat acerba tuens manus impia, circumſpexit;
Tum ſic alloquitur miſtum cum vocibus atrum
Erumpens late flammato e pectore virus:
Vincimur, o ſocii, & fatis urgemur iniquis.
At num propterea incœpto deſiſtere cuiquam
Sit mens? Extremis nunc eſt conatibus ùſus.
Quidquid ſive animis, ſive arte, doliſque valetis
Contrahite hic totum: terras miſcete, poloſque
Vi propria inſtantes; ſubita & formidine cunctis
Correptus coëat circum præcordia ſanguis.
Tuque hæc, o Phanuel, mea fer mandata per auras
Ad reliquos fratres, quos iſta habet ora; citique
Dic adſint cuncti, &, quæ tranant, nubila turbent.
Dixerat; & ſubito ſonuerunt æthere nimbi,
Ac tonuere poli denſa caligine late
Obducti: Allobrogum concuſſit pectora terror,
Et pavidæ ad pectus preſſerunt pignora matres.
Mox ruit effuſus rapido impete turbidus imber:
Intumuere amnes, diverſaque tecta per agros
Gens omnis petiit diverſa ex parte profecta,
Porticibuſque alii, aut adverſi fornice ſaxi;
Hique caſis, illi vaſtis latuere ſub antris;
Nec multis licuit vicinam tendere ad urbem.

Jamque aliquos, cœptæque viæ, ſtudiique pigere
Cœperat ardentis, quo ducti patria tecta
Deſeruere ſua; & vario ſermone fremebant.
Tum magis, atque magis medios acheruſia turba
Pervadens paſſim prævertere corda parabat
Adgrediens verbis falſa ſub imagine, & imo
Pectore ſuffundens ſtygium exitiabile virus:
Quum ſubito humentes ſummo de culmine montis
Exoriens eurus nubes late expulit omnes,
Solque caput rurſus nitido produxit ab axe
Lætior, & curas ſolvit, mœſtumque timorem;
Tum poſuere undæ, rauco quæ murmure primum
Saxa remiſcentes celſis e rupibus ibant.
Recta igitur cuncti, quo ſpes vocat alma, refecti
Tandem animis tendunt, templumque, urbemque celebrant.
At ſimul interea haud viſi, auditive ruebant.
Quos Phanuel, data juſſa ſequens, acciverat, omnes
Lucifugi fratres, circumque, ſupraque volabant
Camberias turres rapidi, dein tecta petebant.
Hinc celeres animos nunc huc, nunc protinus illuc
Dividere, atque iterare dolos, & ſpargere voces
In vulgum ambiguas, trepidos ſi forte tumultus
Miſcere, atque piam poſſent diſpergere turbam.
Nec minus e cœlo ſtygios arcere paratæ
Undique conatus volucres ſine corpore mentes
Aſtiterant multæ non uno ex ordine lectæ:
Atque ubi ter ſacris auro, argentoque nitentem
Luſtravere aram choreis, quæ maxima ſurgit
Marmoreo e templo, Pignuſque inſigne ſub ipſa
Cratibus oppoſitis tutum, & vigili igne, ſeriſque,
Percurrere oculis, quibus omnia pervia, acutis,

Atque diu duplici hæserunt in imagine fixæ,
Singula mirantes lethi monumenta nefandi,
Continuo totam pars plurima circuit urbem;
Compita pars tenuit nitens cœlestibus armis:
Pars subiere domos: hinc vim prohibere minantum
Noctivagûm fratrum accinctæ simul undique cunctæ,
Lustrabantque vias, templumque subinde petebant.
Tandem inter Proceres medius, turbamque fluentem
Liminibus sacris Lodoix, tectisque propinquis
Succedit, matrumque simul stipante caterva,
Regalis conjux oculos dejecta decoros.
Eminet amborum pietas insignis ab ore;
Eminet incessu; nec fulgent purpura, & auro
Ut mos, nec gemmis. Quo pectus flagret amore
Indicio est habitus. Populo dein facta potestas
Ipsorum imperio Munus cœleste colendi
Depromtum ex arca, & solvendi denique vota.
Est arcem juxta, sedes quæ clara Sabaudûm
Heroum summo in clivo toti imminet urbi,
Præcinctum domibus late surgentibus æquor.
Hinc ad templum aditus patet, hinc patet arcis ad alta
Atria; subjectas hinc fas descendere ad ædes,
Et lustrare oculis campos, collesque propinquos.
Illam se in plateam fert plurima turba, tueri
Quæ studio accensa, & venerari textile Donum
Sanguine divino imbutum, stygiisque tremendum
Hostibus, effundens se se, sua tecta reliquit.
Nec satis est ingens spatium. Pars ardua tecta
Scandit, & undantes socios hinc despicit infra.
Pars e suggestis spectat, repletque viarum
Pars aditus; speculasque omnes, altasque columnas

Obſedere alii, atque gravarunt pondere valvas.
Campum [1] quin etiam trans mœnia celſa patentem
Regalemque Arcem, ſublimiaque atria contra
Pars petit, & multi arboribus nituntur, & alta
Culmina conſcendunt, multi imo ex æquore ſe ſe
Attollunt alios ſupra, & vaga lumina torquent.
Interea prodit templi de limine multis
Stipatus circum candenti in veſte miniſtris,
Dulciſonoque choro, ſacrorum Antiſtes, & inde
Procedit Lodoix, Proceresque, & regia conjux:
Intenduntque animos, intendunt lumina cuncti
Partibus ex variis, unde aſpectare poteſtas.
Nec ſtygii Lemures ceſſant. Furor additus imis
Viſceribus gliſcit, correptaque pectora adurit
Jam magis, atque magis; nuncque hos, nunc protinus illos
Invadunt turbæ immiſti, fruſtraque fatigat
Quiſque ſuum ingenium, & partes ſe verſat in omnes
Acrius incumbens, jamque irrita cœpta retentans.
At pennata cohors cœli de vertice lapſa
Pars circum, ſupraque volat tentamina vana
Obſervans gentis tenebroſa e ſede profectæ,
Atque auſus cohibere parans, ſi forte neceſſe;
Pars arcam ſequitur, qua Sindon condita, pennis
Innitens circum, Divûmque, hominumque Parenti
Applaudit celeri exultans, lætoque volatu;
Jamque Sacerdotes denſo agmine cingit, & una
Auctorem Doni canit alta ad ſidera nomen

1 Vernoteus vulgo dicitur; quem in campum convenire deinceps incolarum, advenarumque multitudo ſolebat, quum ſacroſancta Sindon ex Arcis mœnibus ſpectanda proponebatur. *Ex Ping.*

Divinum tollens; jam templi tecta propinqui
Circuit aërios remeans lætissima tractus,
Regalemque domum felicem Munere tanto.
Tandem autem Linum, quo non augustius orbe
Est toto quidquam, depromtum evolvitur. Oras
Hinc atque inde tenent celso de pegmate bini
Pontificem juxta stantes: funalia lucent
Innumera in Procerum dextris: mirandaque signa
Apparent lethi infandi, haustorumque laborum,
Quæ Cruor impressit divino e corpore manans.
Ilicet insinuat cunctis sacer horror, & ima
Pectora pervadit, vixque audet lumina vulgus
Attonitis inhians animis defigere: obortis
Multi hærent lacrymis fixi, ardescuntque tuendo.
Ipsa adeo alituum felix gens æthere nata
Aëre se librans immota, & in agmina densans
Spectat inexpletum, atque stupet mirabile Donum.
Hinc exaudiri gemitus, dirique ululatus
Multorum cœpti, quos exercebat Erynnis
Tartareos miscens in pectore sæpe tumultus,
Et stimulos versans furiata in mente feroces.
Ore immane fremunt: quatit horror membra, vomuntque
Flaventes spumas, & vix suspiria mittunt.
Tandem artus fessi labuntur, humoque jacentes
Semianimes arcto declinant lumina somno.
At stygii fratres, ut primum cœpit ab altis
Porticibus dii Pignus venerabile amoris
Pendere explicitum, lacrymasque ciere piorum,
Protinus ingenti trepidi formidine cuncti
Avertere oculos, sævoque arsere furore;
Tum mens una fuit cœpto desistere, & urbem

Linquere tam caram Superis, Superûmque Parenti.
Nec fuit ulla mora: excessit, Babuele jubente,
Præpetibus pennis sublatum mœnibus agmen,
Tergaque presserunt aulæ stellantis Alumni
Plumipedes juvenes. Sonuerunt murmure rauco
Silvæ omnes late: sonuere ululatibus auræ,
Et tetigit nares graveolenti sulphur odore.
Lætior hinc cœli facies, hinc mitior aura
Spirare, & visa illabi vox ista sub aures
Allobrogi Heroi: *Donum cœleste tueri*
Sit cura; *hincque tibi*, *serisque Nepotibus usque*
Præsidium spera, *hinc populis*, *columenque*, *decusque*:
Auctor ego, *hoc tanto qui te dignatus honore*.
Ex illo totum vulgata est fama per orbem
Sindonis, atque diem læti servare minores
Cœpere, & cœlo se gloria sustulit alto,
Camberiæque urbis, generisque, domusque Sabaudæ:
Ex illo innumeris, lethi in discrimine summo, [1]
Doni qui memores Auctorem in vota vocarunt
Parta salus, medica quæ non revocarier arte,
Non ferro poterat, Phœbique potentibus herbis.
Nec morbi vis ulla fuit non victa: repente
